

















1618.

1. Armannus, Dominicus: De circulatoribus.
2. Armannus, Dominicus: Conclusiones sequentes.
3. Carpzovius, Paulus: Quaestiones juridico-politicae.
4. <sup>1726</sup> Formanus, Ursiphanus: De aestimationibus.
5. Gryphander, Johannes: De donationibus.
6. Hilligerus, Osvaldus: De consuetudine
7. Hilligerus, Osvaldus: Disputatio exhibens materialem fidem fidejussionis, ubi et de Senatus Consulto Vallejano.
8. Hilligerus, Osvaldus: De conditionibus
9. <sup>1726</sup> Lochmannus, Philippus: De fictione juris in genere et in specie de retractationibus 25ump
10. Lochmannus, Philippus: De pactis et transactionibus in causis criminalibus.
11. Melchior, Valentinus: Nobiles et illustres controversae sive ad IV libros Institutionum Imperatoriarum.



12. Melarius, Valentinus: Disputatio juridica. . .  
 in l. 5 § § 2, 3, 4, 5 de praescript. verb. et sa fact.  
 actionibus
13. Melarius, Valentinus: Disputatio juridica  
 ad l. 50 d. familiae heriscundae, succincta  
 resolutione conformata.
14. Melarius, Valentinus: De legitime testamento  
 cum factioe factorum. infirmitate.
15. Pfefferkorn, Numerianus: De Tutelis.
16. Pfefferkorn, Numerianus: De servitutibus realibus
17. Pfefferkorn, Numerianus: De emptioe. venditione
18. Pfefferkorn, Numerianus: De successione ab intestato.
19. Pfefferkorn, Numerianus: De nuptiis.
20. Riemer, Valentinus: De mutuo.
21. Riemer, Valentinus: De iudiciis in genere.
22. Theodorius, Petrus: De legitima liberorum.



parentum et fratrum vel sororum.

23. Theodoricus, Petrus, De rebus

24. Wassmundt, Nicolaus: De publicis judiciis









DISPUTATIO SOLEMNIS  
DE  
CONDITIO-  
NIBUS.

*Quam*

DEO TRINUNO FORTUNANTE.

*Decreto & Auctoritate Nobilissimi & Amplissimi  
Fctorum Ordinis in illustri Salanâ,*

SUB PRÆSIDIO

*Amplissimi & Consultissimi Viri,*

DN. OSWALDI HILLI-  
GERI JC. & Professoris publici celeberrimi,  
nec non Scabinatus ibidem Adfessoris  
meritissimi.

Pro Doctoralibus Insigniis Privilegiis & Sum-  
mis in utroque Jure honoribus dignè obtinendis.

*Publicæ disquisitioni subjicit*

PHILIPPUS LOCHMANNUS  
BORNENSIS.

*Ad diem xxx. Maii horâ locoq; consuetis.*

J E N Æ

Ex Officina Typographica JOHANNIS  
BEITHMANNI.

---

*Anno M. DC. XVIII.*

1618, 8  
671



*Illustri generosæ Nobilitatis prosapiâ, multâ multæ  
doctrinæ & virtutis præcellentiâ splendidissimis*

V I R I S,

Dn. FABIANO à KOTWITZ, Dn. in  
Weißholz/ Gabor/ &c. Invictis. & S. S. Rom. Imper.  
Consiliario meritissimo, Ducatus Groslogviensis  
Commisario vigilantissimo, Regii Dicasterii Ad-  
fessori Magnifico, ejusdemque Diœceseos  
Seniori honoratissimo.

Dn. JOHANNI FABIANO à KOTWITZ,  
Dn. in Bruntzelwaldau & Gardau / d. Regii Judicii in  
Ducatu Groslogviensi Adfessori spectatissimo, Cæ-  
sar. Majestat. Ærarii ac Redituum ann.  
Præfecto supremo.

N E C N O N

*Magnifico, antiquâ generis prosapiâ, rarâ eruditione,  
prudentiâ singulari, omniq; virtutum copiâ præcellentissimo*

V I R O,

DN. WOLFGANGO

ERICO à Brandenstein / in Oppurg / etc.

Sereniss. ac Potentiss. Elect. Saxon. Consiliario dignissimo,  
*Incomparabilis Viri Dn. Esaie à Brandenstein / Sereniss. Elect.  
Consilarii intimi, ac supremæ Provincialis Curie, quæ est Lipsiæ,  
Præsidis eminentissimi, &c. Magni patris magnæ rei  
magnæ spei Filio.*


Dominis Patronis ac Mœcenatibus suis omni observantiæ  
studio ætatem honorandis.

*Inauguralem hanc disputationem*

Dedicat consecrat

*Philippus Lochman A.*





DE  
CONDITIONIBUS  
CONCLUSIO.

THESIS I.



CONDITIONIS verbum cum diversimodè variis in locis usurpetur, è re nostra erit monente Ulpiano *in l. 1. ff. de reb. cred.* priusquam ad verbi interpretationem descendamus sub vestibulo nostræ disputationis pauca de ipsius significatione referre. Frequenter autem & non rarò in jure nostro statum seu qualitatem personarum denotat, uti apparet, *ex S. fin. Inst. de jur. personar. & l. 5. in pr. ff. de statu hom.* dum servi conditio pro statu ejusd. ponitur in eorumque statu nullam differentiam, sed unam conditionem esse Florent. docet. Nec manumissus libertinæ conditionis ingenuus efficitur, *l. liber homo 21. ff. de stat. hom. l. fin. S. ult. ff. de Edilit. Edicto.* In multis juris articulis conditionem foeminarum deteriolem esse quàm masculorum excelsi ingenii Papinianus *l. 9. ff. de stat. hom. ait.* Quandoque pro qualitate rerum. *Sic in l. 1. S. deniq; ait 13. ff. de Aq. plu. arcend.* qualitates agrorum vocantur ibi conditionibus agrorum leges dictæ sunt, *Flacc. in suo libr. de condition. agror.*

II.

Alio significato & quidem pro pactione seu conventionione sumitur *in l. fin. ibi & ferè plerumq; conditiones interpositis personis expediuntur ff. de sponsal. cui astipulatur l. tutor. 36. ff. de ritu nupt.* Unde conditionale instrumentum vocabatur olim chartula illa quâ conditio status probabatur *l. cum scimus 21. C. de Agric.*



*de Agric. & censit.* Conditionales verò ii qui instrumenta illa conscribebant alias dicti Tabularii, *l. scriptor. ii. C. qui pot. in pignor.* Quibus Notarii hodie non absimiles. Ita usus est vocabulo isto *Cicer. Verrin. 2.* Ea, inquit, mansit in conditione & pacto usque ad eum finem. Et verbum hoc sexcentis locis pro pacto usurpari tradit *Hottoman. lib. 5. obs. 23. ubi si pignore. 22. §. fin. ff. de pignor. act.* ibique pro venditio legendum, conditio verè & scitè ostendit.

### III.

Elegantioris considerationis est in *l. exigere dotem 65. ff. de jud. l. capite 19. ff. de rit. nupt. & l. fin. ff. de proxen.* ubi pro conjunctione sponsalium seu nuptiarum ponitur, quo sensu *Terentius in Andr.* Amatores mulieri tulerunt conditionem, illa verò accepit. Inde locutio usitata conditionem quærere & invenire filia. *Senec. lib. 3. contro. & Festus Pompeius libr. 3. scribit:* Conventam conditionem dici, cum primus sermo de nuptiis & earum conditione habetur. Hinc formulam istam, conditione tua non utar, in renunciatione ulurpatam, *Cajus in l. 2. ff. de divort. tradit. eleganter Acac. Anton. ad rubr. de cond. & demonstr. nu. 4.*

### IV.

Nonnunquam etiam sed prorsus improprie & abusive in jure nostro pro modo, ut in *l. 1. C. de donat. que sub modo l. debitori C. de pact. l. quoniam C. de per. permut.* Pro causa, *Bart. in l. 1. §. 1. & l. via. 23. §. si serviens ubi gl. ff. de servit. rust. pradior. Johan. Baptist. Cost. in praxi judic. rubr. c. 2. §. 2. per text. in l. hujusmodi 13. ff. qu. dies legat. ced.* Ubi conditio si illud factum fuerit vel non fuerit tanquam causa debet præcedere. Pro demonstratione & multis aliis modis quorum exempla infinita adduci possent, si instituti ratio admitteret. Videri autem possunt ap. *Leandr. Galganet. p. 1. c. 1. n. 17. & seqq. usq. ad finem.*

### V.

Potissimum tamen & proprie dictione illâ Jcti utuntur pro adjectione quadam dispositionem seu nativitatem obligationis & executionis suspendente, §. *sub conditione 4. Inst. de V. O. Gomez. var. resol. lib. 1. c. 12. nu. 59. Lud. à Molin. pr. comment. de just. & jur. 2. disp. 206.* Quatenus opponitur dispositioni  
tionii



tionem puræ ex qua statim obligatio & actio nascitur, *l. cedere*  
*diem 213. ff. de V. S.* de cuius natura ac proprietatibus in præ-  
fentiarum. VI.

Illud ipsum ut eò commodius fiat seqq. capitibus ex-  
pediemus, dicturi 1. De conditionis notatione ac definitio-  
ne. 2. De divisione & speciebus. 3. De negotiis quibus adpo-  
ni & adiici possint. Quæq; hic circa contractus & testamenta-  
rias dispositiones sit differentia. 4. De Conditionum repeti-  
tione. 5. De Conditionibus adimplendis, & qn. pro impletis  
habeantur, ubi simul de purgatione moræ. 6. De earundem  
transmissione. 7. De Fictione translativa seu Retrotractioni-  
bus. 8. Et ultimo quædam etiam de effectu attememus.

*Membrum sive Caput primum.*

De Notatione & Definitione.

Cap. I.

VII.

Cum autem operam alicui rei daturum ante omnia, Notatio  
nosse oporteat unde ejus nomen descendat, *l. 1. ff. de just. &*  
*jur.* à notatione vocabuli merito inchoamus. Et descendere exi-  
stimus à con & dictione q. simul dictio, eò q. simul dicantur,  
uti in pactis contractibus in continentia adjectis fieri asso-  
let, quo significatu *Pompon. 7C. in l. in vendendo 66. ff. de con-*  
*trab. empt.* In vendendo, inquit, fundo, quædam etiam si non  
condicantur præstanda sunt. Idque suadet & analogia voca-  
buli omissa lit. c. vel t. uti secundum Florentin. edit. legen-  
dum. Deinde verbi significatio; Condicere enim est aliquid  
affirmanter dicere, ut condicere diem cœnam, &c. Et is qui  
sub conditione promittit affirmat se eo in casu quando exi-  
stet conditio daturum vel facturum. Non à condire id est tem-  
perare vel moderari, ut *Donell. lib. 8. c. 30.* ostendit. Nec à verbo  
condere quod est constituere componere creare exadificare,  
quam notationem *Donell. d. loc. Leandr. Galgan. hic n. 16. & alij*  
*substituunt.* siquidem conditio nihil ponit inesse nec consti-  
tuit nec creat, multò minus ex simplicibus & puris componat  
aliquid, sed actum peculiarem & prorsus diversum à puro  
inducit. Unde *Anton. Faber. in error. pragmat. & aliis locis ean-*  
*dem privationem puritatis nominare non erubuit, sed falso*  
ut statim subjiciemus.

A 3

Cognitâ



## VIII.

Definitio.

Cognitâ verbi notatione, consequens est ut de ejusdem definitione, quæ res in jure periculosa *l. omnis 202. ff. de R. J.* & variæ à variis proferuntur, dispiciamus. Quarum *Acac. Anton. in rubr. de cond. & demonstr.* Sex recenset, tandemque illam à *Bartolo in l. 1. ff. de cond. & demonstr. n. 1.* traditam, cum frequentiori scribentium consensu approbat, definiente quod sit futurus eventus, in quem dispositio suspenditur. Cui astipulatur *Cardinal. Mantica. de ambig. & Tacit. convent. lib. 14. t. 41. nu. 1. & lib. 10. t. 5. de conject. ult. vol. nu. 2.* Dicens Bartoli definitionem communiter esse receptam. *Simon de Pratis. de interpret. ult. volunt. lib. 3. interp. 3. dub. 3. sol. 2. n. 2. Grass. §. Institutio. q. 26. nu. 1. Johan. de Castell. contro. cotid. de usufr. lib. 1. assert. 145.* Quam displicuisse video *Donello acutissimo in l. eum qui 41. §. quotiens ff. de V. O. nu. 18. nec non Anton. Fabro in error. pragm. dec. 26. err. 102. & lib. 11. conject. 7.* Utpote cum conditiores ipsa sit quæ differat, casus verò seu eventus in quem differatur. Aliam igitur subjicit ille aliam hic, sed quod pace tantorum *JC.* dictum velim æque infeliciter & incongruè.

## IX.

Non enim est tam insulsa ac incongrua, ut sciscitant hæc Bartoli definitio siquidem eandem manifestè approbasse videtur *Justin. Imper. in l. un. §. Sin autem 7. C. de cad. tollend. & in §. sub conditione Inst. de V. O.* Conditionalem stipulationem eam esse attestatur, quæ in futurum eventum differt obligationem, cum ipsius præcipuus effectus sit, quod eâ pendente omninò ejus incertitudo suspensum habeat actum. Nec moveat quem quod secundum ipsum, *Bartol. in l. 1. ff. de Appell.* nihil definiendum per effectum & quod causatum à causa differat *arg. l. licet 42. §. ea obligatio 2. ff. de procurat.* Id enim verum esse non inficias imus si effectus sunt remoti nec inseparabiliter rei adhæreant vel necessario ex ea sequantur. Qui autem effectus ita necessario semper & inseparabiliter adhærent, proprietates quædam essentielles censentur rei, non accidentales, imò ipsam formam videntur referre in actu primo considerati, & ita per effectum congruè definirî res possunt.

Cujus



Cujus intuitu id à Bart. hinc factum autum imitamine forte an  
possessionis in l. bona autem 3. §. bonorum ff. de bonor. poss. Acti-  
onis, pr. Inst. de Act. ubi Dd. concordant. Usucapionis l. 3. ff. de  
usucap. & aliarum quæ omnia per effectum commodè & ritè  
à Jctis definiuntur, uti Covar. p. 1. §. unius de R. 7. in 6. Cardin.  
Mantic. de ambig. convent. lib. 12. t. 3. num. 30. & seqq. eleganter  
deducunt. Quod alias à nemine hæctenus observatum vidi.

X.

Salvare itaque possumus communem præceptorem  
Bartolum nostrum, contra aculeos morsus Fabri qui ipsi est  
offensivissimus & crassissimum errorem d. loc. depromit defi-  
niendo per privationem puritatis; ut enim taceam, absque  
ullo juris textu vel ratione hoc ita tantum asseri, ipse Philoso-  
phus lib. Categ. c. 10. §. 12. repugnat siquidem omnis privatio  
requirit certi temporis determinationem, nec possit subjecto  
tribui, nisi post illud tempus, habitumque sequatur. Quæ o-  
mnia cessant in conditione tum quia omnes actum suspen-  
sum habent propter incertitudinem implementi & effectus  
venturi, l. si pupillus 9. §. qui sub conditione ff. de Novat. l. 18. ff. de  
condict. indeb. ut paulò post monstrabimus; Cum quia obli-  
gationis seu actus puritas nondum adfuerit, quomodo igitur  
privari quod nunquam extitit potuerit, utpote cum conditio  
tam tacita quam expressa impediatur existentiam actus & nati-  
vitatem obligationis, Cardin. Mantic. de ambig. convent. d. loc.  
nu. 16. Nisi fortassis privationem impropriè quæ habitum an-  
tecedit intelligat, ut fuerunt tenebræ illæ primæ ante omnem  
lucem, de quibus Moses cap. 1. Gen. Item cæcitas eorum qui ab  
utero materno visu privati sunt, quod non credo ipsi in men-  
tem venisse, definitio siquidem informanda verbis perspicuis  
propriis ac determinatis id est ab omni ambiguitate liberis  
quam doctrinam Aristot. sollicitè sanxit 6. Top. c. 2. & 2. poster.  
83. Sed ut tamen maximè hoc sensu admittamus quid quæso  
Bartolo feliciter expedivisset. Inconvenientiam magis arguit  
explicatio adjecta se: suspensio actus quam sequitur Molin. de  
Inst. & l. 2. disp. 206. in pr. Leand. Galgan. p. 1. c. 1. n. 12. & origi-  
naliter posuit Azo in summa C. de cond. infer. num. 1. Siquidem  
suspensio æquè conditionis effectus ex quo fundamento Bar-  
tolii



toli à Dd. impugnatur, uti lippienti obvium esse potest. Quippe hæc definitio, privatio scil. puritatis, non competit modò conditionali obligationi, sed & in diem; nam & illa non pura est, & privationem puritatis in se habet, uti puræ obligationi expressè opponitur obligatio in diem, *d. §. 2. f. de V. O. L. 30. §. 1. de Leg. 1. L. 2. L. 5. §. 1. L. 21. pr. Quando dies leg. L. 213. pr. de V. S. L. 5. de pignor. cum similis.* Tametsi erroneè dissentiat *Vultej. 1. Jurisp. Rom. c. 27. & ad §. fin. nu. 25. f. de Oblig.* Aut itaque secundum Fabrum eadem erit obligatio in diem & sub conditione, contra omnia nostra jura aut definitio latior, quam quæ competat conditioni duntaxat. Denique cui non notum est diei adjectionem & conditionem efficere enunciationem positivam; privatio autem nihil ponit, per vulg. Philosophorum.

XI.

Quibus ita præmissis & ante cineres habitis, ut vile meum iudicium circa istâ rem etiâ interponam, novè sic definiiri potest: **Conditio est qualitas actus negotium in futurum & incertum eventum seu casum differens.** Actum esse non dubitamus sive ad contrahentes sive testatorem respiciamus, est enim vocabulum generale ac latius patet, ad eò ut etiam ad jus testandi aliaque facta extendatur text. expr. in *l. Labeo & l. Verba contraxerunt 20. ff. de V. S. ibid. Gæd. num. 8.* Per quem intelligimus factum ipsum quo contrahunt, non negotium illud quod intenditur à contrahente seu disponente, *l. semper in stipulationibus 34. ff. de R. J. l. eum actum 17. & l. 19. ff. de negot. gest. l. heredes palam 21. §. fin. ff. qui testam. fac. poss.* Conditionem autem ipsum actum non esse sed ipsius qualitatem quæ regit dispositionem sui subjecti, cujusq; defectus facit ut dispositio non possit sortiri effectum docet *Marius Salomonius ad L. Gallus fol. 29. lit. C. Leandr. Galgan. p. 2. c. 1. q. 19. num. 4. de cond. & demonstr.* idque patet ex *l. nisi hoc actum 12. l. videlicet 26. & l. seq. §. pen. ff. de pact.* In quibus omnibus modus & qualitas ab actu ipso discernitur, & in *l. Lucius 24. ff. de pos. & l. apud Labeonem 20. ff. de præsc. verb.* actus non manet simplex sed qualificatur; idque



idque non incongruè etiam de puritate dici potest. Condicio igitur actum ipsum qualificat & informat, perinde ac puritas ab illa qualitate tanquam forma quæ dat esse rei, nomen habet, ita ut actus modo purus modo conditionalis vocetur quod innuere videtur *Ruger. consil. 35. nu. 84.* qui conditionem formam inducere tradit, idque probatur *per l. Prætor. 3. in pr. ibi. si non aliter nisi & c. ff. de collat. Zas. consil. 5. nu. 90. ibi jure n. traditum est, quod conditio lib. 1. Johan. Anton. Rubcus de potest. procur. num. 257. Galgan. p. 1. c. 8. num. 8. & p. 2. cap. 1. quest. 21. num. 12.*

## XII.

Negotium intelligimus cum *Gæd. in d. l. Labeo num. 7.* omne id quod fit vel fieri intenditur & causa est dispositionis, quæ conditione pendente non existit. Cum autem nec aliter nec alio modo fieri partes convenissent vel testator voluisset procul dubio consensus ille pro conditione injunctus id operari debet, ut conditione vel formâ non purificata actus effectum minimè assumere possit; & eam conditionis naturam esse ut negotium suspendat in id tempus quò purificatum est, *arg. l. in conditionibus 19. ff. de cond. & demonstr. Cornæus lib. 4. consil. 227. lib. 1. ibi natura conditionis est suspendere.* Quem sequitur *Jacob. Schultes JG. Lipsiensis in obser. Forensibus obs. 13. num. 7.*

## XIII.

Pro forma igitur requiritur ut in futurum tempus conferatur non in præsens vel præteritum *text. in l. cum ad præsens 37. & l. seq. ff. de reb. cred. l. conditio talis ff. de cond. inst. l. nominatim §. 1. in fin. ff. de cond. & demonstr. l. si ita stipulatus 120. ff. de V. O. Gæd. de contr. stipul. c. 8. n. 137.* Quæ n. per naturam certa sunt licet apud nos incerta non morantur obligationem, sed aut statim infirmant eandem aut omninò non differunt §. *conditiones 7. Inst. de V. O.* Nec, quia earum eventus extiterit vel extat, actum conditionalem seu effectum suspensum habent *l. si ita stipulatus 120. ff. de V. O.* ibi nec placuisse sibi instar conditionis habere sermonem, qui non ad futurum sed præsens tempus refertur, etsi contrahentes rei veritatem ignorant. Unde *Jason in rubr. ff. sol. matr. negat ibid. conditionem.*

B

inferre



inferre rubrum *Acac. Anton. ad rubr. hujus tit. n. 42. Card. Mant-*  
*tic. lib. 10. t. 5. de conject. ult. volunt.* Eo ipso n. quod conditio ex-  
titit purificata conditio censetur cum inter conditionis exi-  
stentiam & purificationem dispositionis medium nullum  
sit *Mantic. lib. 14. t. 42. n. 1. de tac. & amb. convert.*

XIV.

Deinde eventus ut sit incertus; unde conditio quæ  
omninò sit extitura conditionem non esse asserimus, *per text.*  
*expr. in l. quod si 18. ff. de cond. indeb. l. si pupillus 9. §. 1. ff. de Novat.*  
ibi qui sub conditione, quæ omninò est extitura, stipulatur,  
purè videtur stipulari. Sed talis intelligitur quæ suspensum  
habet actum, & quæ potest esse & non esse, vel ut *Gomez 9.*  
*var. resol. 12. n. 63.* loquitur, quæ se habent ad esse vel non esse &  
impleri possunt vel non cujuscunque naturæ vel qualitatis  
sint. *Franc. Balduin. de condit. c. 3.*

XV.

Sed hæc quæ diximus, fortiter impugnant nonnullus moti  
*l. hujusmodi 13. ff. qu. dies leg. ced.* Ubi cōditio hæc si hoc factum  
fuerit, vel nō factū fuerit, quæ omninò est extitura legatū facit  
cōditionale. In cujus difficultate explicanda admodū laborāt.  
Dd. communiter distinguunt inter cōtractus & ultimam vo-  
luntatem; illosque quia certum sit debitum iri & conditio-  
nem ad hæredes transmitti, purum esse; Ultimam v. disposi-  
tionem conditionalem *Bart. in l. Julian. 60. de cond. indeb. n. 34.*  
*Jason. ibid. num. 26. Balduin. de condition. c. 3.* utpote cum in his  
conditio deficere possit, nec transmissioni locus sit ut infra de  
cond. transmiss. pluribus agemus. Verum quia omne debitum  
ex præcedenti aliqua causa debetur *l. 2. §. circa ff. de dol. mal. ex-*  
*cept.* statuendum tam in contractibus quàm ultimis volunta-  
tibus dispositionem talem esse conditionalem, non quidem  
propter existentiam vel defectū conditionis, cum necessario  
alterutra existit, sed ideo quia dubium & incertum quæ ex  
ipsis sit extitura & solutioni causam præbeat *text. in l. Julianus*  
*60. ff. de cond. indeb. ibid. Accurs. Acac. Anton. d. rubr. n. 32.*

XVI.

Et vice versa eventum & casum talem, qui omninò e-  
venire & existere possit. Cæteroquin si adjectum impossibile  
sit illud



fit illud propriè conditionis nomen non mereri statuimus  
*text. in l. non solum 31. ff. de O. & A. l. impossibiles 7. de V. O. Man-  
tic. de ambig. & tac. convent. lib. 14. t. 41. num. 1.* Id quod suadet  
verbi hujus proprietates cum in jure eventus sumitur pro eo  
quod contingere potest *l. 1. §. 1. ff. de serv. corrupt.* ibi eveniet ut  
duobus actio servi corrupti competat, &c. sic in *§. est & aliud  
ibi sed primus Inst. de donat. & eventum expectare l. pen. in fin. ff.  
de procurat.* Licet autem in multis juris textibus conditiones  
nominentur, minus tamen propriè sed abusivè & figurâ tan-  
tùm orationis vel sub sono nominis seu verbi hujus conditio-  
nis factæ censentur, *text. in l. Cornel. 69. ff. de hered. instit. Pic-  
hard. §. impossibilis Inst. de hered. inst.* Cum actum non suspen-  
dant, nec ipsius validitas ex futuro eventu dependeat, nec pos-  
sit conditio non deficere; Quod itidem etiam ad conditio-  
nem impossibilem quæ in non faciendo consistit extendi-  
mus *d. l. impossibilis 7. ff. de V. O.* Quamvis omnes ferè dif-  
ferant.

#### XVII.

Omniem autem dictionem seu verbum significativum  
alicujus qualitatis substantiæ non existentis si modo depen-  
deat ex futuro & incerto eventu, conditionem importare  
opinamur; uti est conjunctio cum, nisi, postquam quoad do-  
nec, &c. *l. quocumq. 45. §. pen. ff. de V. O. l. qui promisit 48. ff. de  
cond. indeb. l. quibus de rebus 40. §. 2. & l. pat. 101. §. fin. ff. de cond. &  
demonstr. l. inter illam 217. de V. S. l. Cajo 13. §. Imperator ff. de alim.  
& liber. leg. de quibus singulis eleganter Leandr. Galgan. p. 1. c. 1.  
quæst. 1. & seqq. de cond. & demonstr. Duaren. de cond. instit. c. 3.  
Donell. 8. comm. 31.* Ubi tamen non tam verba quàm mens di-  
sponentis inspicienda, quæ in conditionibus primum locum  
obtinere, easdemque regit *l. in conditionibus 19. ff. de cond. & de-  
monstr. Mantic. de tac. & ambig. convent. lib. 12. t. 43. n. 2.*

#### XVIII.

Duos etiam ablativos absolutè positos, quamquam ex  
participio sensum præteriti temporis habeant, conditionem  
inducere communi Dd. calculo constat *per text. in l. 109. ibi ac-  
ceptis centum ff. de cond. & demonstr. l. acceptis ff. ad L. Falcid.  
l. 69. §. 4. ff. de evict. l. 34. §. 1. ff. de statu liber. l. Fideicommissa §. cui  
esset*



esset ff. de leg. 3. & alios innumerabiles, quorum inventio potius laboriosa quam ingeniosa juxta Rutger. consil. 35. n. 79. Donell. 8. comm. 31. Et quanquam Jason. in rubr. ff. sol. matrim. num. 1. & seqq. dissentire videatur ob regulam illam generalem quod conditio proprie de futuro sit d. l. un. presens 37. & l. itaque 39. de reb. cred. uti supra pluribus probatum. Attamen quia verba illa preteritum denotantia ad sensum futuri trahuntur, & superincerto cadunt conditionem importare Bald. in l. 1. ff. de l. 2. scribit, Imò istam conditionem majorem vim habere quam alia conditiones quia habeat etiam vim dispositionis. Sarmient. lib. 2. select. interp. 1. nu. 16. tradit.

XIX.

Quo loco non omittendum quod de obligatione in diem concepta hic immisceri solet: **Utrum dies dispositioni adjectus eandem faciat conditionalem nec ne?** Cujus quaestionis ut infr. de Transmissione apparebit utilitas est maxima. Verius autem est ut cum Dd. distinguamus inter diem certum & incertum. Diem enim certum conditionem nunquam facere sed exinde statim obligationem & actionem nasci Dd. veriverbium est text. in l. 1. §. 2. ff. de cond. & demonstr. l. si dies 21. ff. qu. dies leg. l. centesimis 46. de V. O. l. cedere diem 213. ff. de V. S. ex quibus liquidò apparet ante diem statim agi posse. Cum certum sit quoad obligationem presentem contrahentiū voluntatem fuisse, ut tantum solutio differatur Gomez. 2. var. resol. c. 11. nu. 21. Galgan. p. 2. c. 5. quest. 15. Anton. Faber. 4. conject. 20.

XX.

Non moveat quem Autoritas Cujac. 13. obs. 20. & 18. obs. 1. Et quæ Dd. hic communiter urgent in §. ex conditionali Inst. de V. O. l. si ita scriptum 45. §. sub conditione ff. de leg. 2. l. certi conditio 9. ff. si cert. pet. l. si in annos 49. ff. de cond. & demonstr. l. eum qui 41. §. quoties ff. de V. O. In quibus legatum vel promissum in diem certum non debetur cum tantum spei sit debitum iri. Omnes enim uno q. impetu corruunt, si effectum respiciamus quem constat impediri propter exceptionem debitori paratam ex solutione dilata. Nec immerito prohibetur legatarius: repu-



repudiare legatum ante diem *in d. l. 45. §. sub conditione*. Cum  
is tantum repudiat qui cum effectu acquirere & succedere  
potest *l. is qui hæres 97. & l. 15. potest 18. ff. de acquir. hæred. At ac.*  
*Anton. ad l. 1. nu. 36. ff. de cond. & demonstr. qui aliter respondet ex l.*  
*hujusmodi ff. qu. dies leg. & nativatem obligationis propter*  
*causæ incertitudinem impediri censet, de cujus veritate in dis-*  
*cursu aliquid absurdi monstrabimus.*

XXI.

Diem v. incertum, cuicumque dispositioni fuerit adje-  
ctus conditionalem dispositionem importare omnium suffra-  
gio comprobatum est, tam in ultimis voluntatibus *l. talis scri-*  
*ptum 30. §. 4. de leg. 1. l. 1. §. 2. & l. 75. ff. de cond. & demonstr. l. 1. §. fin.*  
*ff. ut leg. nim. cav. l. si dies 21. ff. qu. dies leg. ced.* Quam contracti-  
bus *l. stipulatio ista 38. §. inter incertam & l. continuus 137. §. cum*  
*ita ff. de V. O. l. quod certa 70. ff. de solut. Mantic. de ambig. convent.*  
*lib. 14. t. 41. nu. 17. & seq.* Quamvis in his quoad transmissionem  
de quâ infra jus diversum obtineat *Mantic. de conject. ult. vo-*  
*lunt. lib. 11. t. 20. nu. 3.* Dissent. *Donell.* qui diem incertum quem  
tamen constat venturum in contractib. conditionem facere  
negat, *per l. 9. §. 1. ff. de Novat. 8. comm. 31. lit. C. Balduin. de*  
*condit. c. 3.*

XXII.

Scitè quoque & non ineleganter huc in dissertationem  
venit acerrima & Dd. pugnis admodum agitata, quæstio:  
Num tempus mortis diem contineat certum  
vel incertum, *seu quod idem est*, utrum legatum  
vel stipulatio ita concepta, cum moriar vel  
cùm hæres aut Legatarius moriatur dispositio-  
nem faciat conditionalem nec ne! Sanè si anti-  
quam juris veritatem inspiciamus, nō est ut asseramus, quem-  
vis actum in moriendi tempus collatum olim fuisse nullum;  
quod plerisque placuisse video, autumantes id correctum &  
noviter demum introductum esse Justiniani Constitutione  
*l. un. C. ut action. ab hæred. & in hæred. l. scrupulosam 11. C. de con-*  
*trah. stipul.* Hi enim omnes fallunt & falluntur, siquidem for-

B 3,

mulâ



mulâ ista cum moriar vel cum hæres seu Legatarius morietur etiam olim & ante Justiniani Constitutionem utiliter legabatur vel promittebatur *text. expres. in §. ita a. 16. Inst. de inutil. stipul. l. quodcumq; 45. §. non solum ff. de V. O. l. si pecunia 12. §. fin. de leg. 2. l. hæres meus 79. de cond. & demonstr. l. 4. & l. 13. qu. dies leg. Castell. lib. 1. de usufr. assert. 155. Quia eo momento, quo mortis agonem adesse sentit impletur conditio adeoque vivus debere incipit, l. 1. §. 2. ff. de cond. & demonstr. Cum actus ille moriendi vitæ ascribatur, l. qui duos 18. §. 1. de manum. testam. l. ult. ibi extremo vitæ momento ff. de cond. inst. Hilliger. ad Donell. 8. comm. 31. lit. C. Salamo. ad l. Gallus fol. 43. lit. B. Anton. Fab. 9. conject. c. 1. Ema. Acost. ad l. Gallus c. 1. n. 3. Et eum qui moritur cū nondum mortuus sit adhuc vivere tradit Aul. Gell. lib. 6. c. 13. Noct. Attic. Lud. à Cassanat. lib. 1. conf. 22. num. 1. Alciat. 2. parerg. c. 44. eleganter Fœnuc. de momento temporis c. 1. num. 21. Ripa de actis in artic. mortis c. 1.*

### XXIII.

Sed hoc tantum prohibitum erat ne quis post mortem hæredis aut legatarii stipularetur promitteret, vel testamento aliquid relinqueret §. post mortem Inst. de leg. Quæ vires non habebant nisi vitâ peractâ & animâ efflatâ Cujac. lib. 3. obs. 34. text. in d. l. un. in pr. ibi cum stipulationes & legata & reliquos contractus post mortem compositos antiquitas quidem respuebat, utpote quia hoc modo contra leges receptas ab hæreditate hæredis disponere videbatur Paul. lib. 3. sent. tit. 6. §. post mortem. Idque propter regulam illam generalem quod actio quæ adversus nos non ceperit, neque adversus hæredes nostros transire possit Theoph. ad d. §. post mort. 35. Inst. de leg. Quod Imperator d. Constitutione immutans, veterum differentiam verborum cum moriar, cum mortuus fuero post mortem meam dari vel pridie quam moriar sustulit d. l. scrupulosam C. de contr. & com stipul. Goth. ad d. l. un. lit. Z. ne propter nimiam eorum subtilitatē latitudo contrahentium vel testantiū impediretur, sed omnes contractus & legata exemplo fideicommissorum, in quibus hoc ut benignum receptum erat l. 5. §. fin. ff. de leg. 3. post mortem concepta indistinctè vires habeant §. post mortem inst. de leg. Emanuel. Acosta lib. 1. select. Interpret.



terpr. 13. Gæd. ad l. 132. nu. ff. de V. S. Alex. Turamin. lib. singular. de  
exaquat. legat. & Fideicommiss. c. 4. n. 3. & seqq.

XXIV.

Unde relinquitur olim dispositionem illam si moriar,  
si morieris vel cum morietur, &c. in omni actu conditiona-  
lem fuisse, quod quia adhuc correctum non reperitur, & ho-  
die procedit l. sancimus 27. C. de Testam. idque tam in contra-  
ctibus l. quodcumq; 45. §. 1. & 2. ff. de V. O. l. sub conditione 16. &  
seq. de cond. indeb. l. pœnales 32. ff. ad l. Falc. Mantic. de ambig. &  
tac. cond. lib. 14. tit. 4. num. 18. quam ultimis dispositionibus in-  
dubium est l. 9. C. de hered. inst. l. 1. §. si emancipato 15. & seq. ff. de  
collat. sive fuerit concepta in mortē hæredis l. 4. & l. 79. §. 1. de  
cond. & demonstr. l. si cum 4. ff. qu. dies leg. ced. sive legatarii vel  
creditoris. De stipulatore text. expr. in l. pœnales 32. ff. ad l. Falc.  
ibi nam etsi ita stipulatus esset, cum moreretur deberi ei inciperet,  
tamen auferentur bona ejus: quemadmodum si ipse sub eadem  
conditione promississet, defuncto eo minuerentur in Legatario l.  
cum tale 72. §. Mævia. ibi inemtusve alius ff. de cond. & demonstr.  
& d. l. heres meus 79. ubi ante mortem actio non oritur sed mo-  
râ suspenditur. Quamvis enim certo & omninò extitura  
fit, continet tamen diem incertum, qui conditionem inducit  
& nativatem obligationis impedit, & sic quando existat  
non est certum.

Membrum seu Caput secundum.

II. Cap.

De Divisione.

XXV.

Satis meo judicio dictum hætenus de Natura condi-  
tionum, transitum nunc facimus ad earundem divisiones, de  
iisdemq; paucis differemus. Præcipua autem conditionum  
duo sunt genera; Aut enim possibiles, aut impossi-  
biles Galgan. p. 1. c. 2. in pr.

Divisio

Illæ, de quibus hîc agimus propriè, vicissim aliæ sunt  
potestativæ, aliæ casuales, aliæ mixtæ. Quæ divisio  
non modo summorum Jctorum & Scribentium fulcris &  
autori-



autoritate nititur. Verum etiam manifestis juris textibus corroborari & stabiliri potest, text. est in *l. in facto 60. ff. de cod. & demonstr. l. un. §. fin. a. C. de caduc. tollend.* Ubi Imperator disertè scribit relinqui aliquid sub conditione vel potestativa vel casuali vel mixta. Eandem amplectuntur non modo veteres J Cti *Bart. in d. l. un. Anton. Gomez. 1. var. resol. c. fin. nu. 6. Emanuel. Acoft. lib. 2. select. interpr. c. 4. Sarmint. 2. select. c. 2. nu. 10 & seqq.* Verum etiam recentiores *Molin. de just. & jur. 2. disp. 206. Cujac. 14. obs. 2. Quas debere diligentissimè explicat Borchold. de verb. obl. c. 6. nu. 47. & seqq. Cardin. Mantic. de ambig. convent. lib. 14. t. 41. nu. 11. Consultiss. Dn. Praeses ad Donell. 8. comm. 34. lit. A. & quos ego viderim omnes.*

XXVI.

Quamquam autem Ulpian. J C. in *l. juris 4. §. puto. ff. de hered. inst.* tradat facti quæstionem esse potestativa conditio quæ sit, adeoque generaliter rectius definiri. Unde quam plurimi statuere ejus certam definitionem assignari non posse, *gl. in d. l. 4. ibidemq; Cujac. & Paul. de Castr. nu. 2. Sarmient. 2. select. c. 2. nu. 14.* Alii verò eam propriè conditionem esse simpliciter negant *Johann. Baptist. Costa de Retrotract. c. 8. cas. 31. n. 12. Panschman. lib. 1. contr. jur. c. 20. Menoch. de presumpt. c. 186. n. 6. Gravett. consil. 493. vol. 3.* Nos tamen veriore juris partem, secuti eam propriè conditionem esse ac communi Dd. schola rectè definiri arbitramur, quæ ex arbitrio & voluntate honorati dependet *l. is qui 13. ff. de hered. acquir. l. 1. §. qui sub conditione 8. ff. si quis omiss. causa test. l. verba 12. ff. de cond. inst.* *Gomez. 1. var. resol. c. fin. n. 6.* Ad *d. §. puto.* respondendum igitur loqui J Ctum de institutione filiifam. uti ex *pr. illius l.* apparet, quem constat sub conditione institui non posse, nisi eâ quæ in ipsius potestate sit, & ab eo de facili impleri possit, ut *infr. thes. 48.* Quæ autè talis sit respectu filii definitu ex difficilimum *l. ejus modi 5. ff. de hered. inst. Raph. Cuman. l. fin. ff. de cond. inst. num. 3. Aretin. ibid. nu. 8. Acac. Anton. ad d. l. 2. nu. 25.* & propter circumstantias variare potest; Inde quia facti potestas est *d. l. 4. §. 1. ubi Cujac.* merito judici cognoscendum relinquitur. Nihil itaque ex *d. §. puto.* de difficultate definitionis potestativæ conditionis uti putârunt plerique, evincitur.

Personam



## XXVII.

Personam honorati dum includimus definitioni, eo ipso negamus ex honorantis, id est, debitoris arbitrio & voluntate dependere conditionem posse. Lex enim præsumit promissorem nunquam velle *Bart. in l. si Titius de V. O. § l. sub hac. ff. de O. & A.* Nec aliter consistit legatum quam si hæres necessitate obstringatur, *l. 7. §. 1. ff. de reb. dub. & pro non dicto habetur, quod dare nisi velis cogi non possis text. in l. stipulat. 17. § l. centesimis 46. §. fin. ff. de V. O. cum non debeat stipulatio ex voluntate promittentis statum capere l. 108. §. ff. de V. O. Lyklam. lib. sing. quest. 8. Cujac. 2. obs. 2. Jacob. Scultes præf. quest. 26. Emil. Ferret. ad l. centesimis 46. §. pen. ff. de V. O. Nisi forsan solutioni fuerit adjecta, puta hæres cum voluerit 10. Titio dato d. l. 7. §. 1. ff. de reb. dub. Mantic. Vatican. lucubr. libr. 14. t. 41. num. 21. Quo casu vivo hærede peti nequit, mortuo autem eo ab hærede præstandū est, ne adimatur facultas parandæ solutionis hæredi, & eo tempore implendæ quò commodius posset, *l. 11. §. 6. & l. uxorem 41. §. pen. ff. de leg. 3. Donell. 8. comm. 15. in fin. ibidemq; Consultiss. Dn. Præses eleganter.**

## XXVIII.

Hinc formulâ istâ adjectâ, si volet vel voluerit Legatarius seu stipulator dispositionem conditionalem fieri autumamus per *text. in l. si ita legatum 65. §. 1. ff. de leg. 1.* Non quod actus insit tacitè licet non exprimatur, ut *Robert. 2. sentent. 10. Gomez. 1. var. resol. 12. num. 27. opinantur*: Sed ideo quia aliter legatum non debetur nisi declaraverit voluntatem suam *d. l. 65. §. 1. de leg. 1. & l. 69. ff. de cond. & demonstr.* Sæpenumero enim mutatur rei effectus, quanquam id expresserit testator, quod etsi non fecisset, tamen inesset, *l. servo 47. ff. de cond. & demonstr. Donell. d. c. 15. in pr.*

## XXIX.

Casualem conditionem nominamus eam, quæ ex casu & fortuna dependet: vel quæ omnino non est in potestate ejus cui ponitur, puta si navis ex Asia venerit *l. un. §. 7. C. de cad. tollend. l. 2. §. si sub conditione ff. de hered. inst. Molin. 2. disput. 206. nu. 11. Mantic. lib. 14. Vatican. lucubrat. 41. nu. 11. Acac. Anton. ad d. l. 2. nu. 3. Galgan. p. 1. c. 2. de cond. & demonstr.*

C

Tertiam



## XXX.

olq. Tertiam speciem, quam mixtam Imperator *in d. l. un. §. sin a. C. de cad. toll.* ideo quod de natura utriusque participat, appellat, definiunt quod sit conditio quæ ab hominis alicujus facto seu arbitrio & fortuna dependet, ut lego si Doctor eris; *l. suis quoq. 4. §. puto ff. de hered. inst. l. si pater. C. de inst. & substit.* ibi manifestum est, multis casibus non voluntariis sed fortuitis evenire posse, ut eam implere non possit Gomez. *1. var. resol. c. fin. num. 60. Molin. 2. disput. 206. Acac. Anton. ad d. l. 2. num. 31.*

## XXXI.

ulot Dispersuntur denique conditiones in tacitas & expressas *l. 1. §. 2. ff. de cond. & demonstr.* Ubi Pomponius JC. istas species accuratè distinguit inter se, docens præsentia esse legata nisi conditio ascribatur, vel vi ipsa conditio insit *Molin. 2. disput. 206. nu. 17. Mantio. lib. 14. de tac. & ambig. convent. 41. num. 12. & lib. 11. de conject. ult. volunt. 10. num. 4. Donell. d. loc. Gæd. de contrah. stipul. c. 8. n. 139.* Expressam vocamus, quæ verbis exprimitur, *arg. l. 1. in pr. h. t.* ibi aut dies certus aut conditio ascribitur.

## XXXII.

l189 Tacitam non intelligimus uti Dd. communiter opinantur, eam quæ rei ipsi legatæ vel promissæ cohæret, vel naturâ rei inest, puta si legentur fructus rei vel partus ancillarum, & probare conantur *ex l. interdum pura 73. ff. de V. O. Molin. 2. disp. 206. in fin. Gomez. 1. var. resol. c. 12. nu. 65.* istas enim conditiones propriè non esse patet *ex l. conditiones extrinsecus 99. ff. de cond. & demonstr.* Ubi negatur conditiones quæ non ex testamento veniunt, legata facere conditionalia *l. 1. §. fin. ff. de cond. & demonstr. l. cum illud 25. §. 1. in fin. ff. qu. dies leg. cerl.* ibi namque dies legati cui conditio non ascribitur, quamvis extrinsecus expectanda sit, cedit. *Galganet. p. 2. c. 6. q. 8. nu. 22. de cond. & demonstr. Johan. Baptist. Costa de Retrotraction. c. 10. cas. 4. nu. 9.* licet potestati juris puta si hæreditas adita sit *l. 7. qu. dies leg. l. 32. de leg. 2. Donell. eleganter 8. comm. 32 in pr. Johan. Baptist. Costa de Retrotract. c. 10. eff. 4. nu. 9.* Sed quæ ab ipsa legē seu jure intrinsecus subintelliguntur, puta si dos promittatur vel legetur; cum tacitè insit conditio, si matrimonium sequatur, liquod.



*l. quod purè 6. ff. qu. dies leg. l. aliquando 107. de cond. & demonstr.*  
Quibus in terminis accipienda *l. 1. in pr. ff. eod. tit.* Nec moveant exempla *in d. l. 1. §. fin.* subjecta, utpote quæ non restringunt regulam, sed tantum declarant naturam legatorum tacitam, cum præstatio legati eo in casu solâ morâ suspendatur, & ex ipsa re dilationem capiat, *d. l. interdum pura. l. cum certus 5. ff. de vino tritic. & oleo leg. Mantic. lib. 14. de tacit. & ambig. convent. 41. nu. 12.* Adeò ut quamvis nominatim exprimantur legato tamen nihil nocent, *d. l. 7. §. 5. & l. 25. ff. qu. dies leg. l. aliquando 107. ff. de cond. & demonstr. l. hæc verba 3. ff. de leg. 1. ubi Duaren.* huiusmodi adjectionem figuram non vim conditionis habere tradit.

### XXXIII.

Deveniendum nunc ad materiam impossibilitatis, unde illa magna *Dd. pugna*. Quibusnam modis conditio impossibilis inducatur, vel quotnam speciebus constet. In quâ quæstione enotanda varii varias adducunt *Accurs. in §. impossibilis Inst. de hered. inst.* quatuor constituit species. 1. Cui natura repugnat vel contrariatur, puta, si cælum digito attigeris. 2. Cui jus, ut si patri maledixeris. 3. Quæ de facto tantum impossibilis sit, sed per naturam fieri possit, nec ei jus aut æquitas resistat ab homine tamen commodè fieri non possunt, qualis illa, si montem aureum dederis, & fundant se plerumque *in l. cum hæres 4. §. 1. ff. de statuliber.* 4. Quæ ex rei perplexitate oritur, fundamentum ponunt *in l. si Titius 16. ff. de cond. inst.* Quem sequitur & eleganter exemplis illustrat *Galgan. p. 1. c. 2. n. 5. & seqq. Mascari. lib. 1. com. opin. c. 15. Sarmient. in lib. 2. select. interpr. 1. nu. 1. & 2.* duplicem constituit speciem. Unam quæ simpliciter sint impossibiles, vel ut *Bart. in l. 1. ff. de cond. & demonstr. n. 3. & 4.* quæ se habent ad impossibile semper & ad semper. Deinde per suppositionem, quæ aliquando, non semper impossibiles sunt.

### XXXIV.

Quæ omnia quidem speciem quandam habere videntur, attamen quia Sarmientus in explicatione posterioris membri variat, eidemque naturæ impossibilitatem includit; *Accursii* autem & sequacium species posteriores in unam

C 2

coinci-



coincidant, & dichotomia semper perfectior fuerit habita,  
ab iis salvâ eorum autoritate discedentes ad duos reducimus  
species. Easdemque tales esse vel secundum naturam. In qua  
consentiunt nobiscum omnes, vel secundum juris dispositio-  
nem. Quæ enim de jure impleri non possunt, impossibilia re-  
putantur uti sunt conditiones turpes *l. non dubitamus 20. ff. de  
cond. & demonstr. l. reprehendenda C. de inst. & subst.* Et facta quæ  
lædunt pietatem existimationem & verecundiam nostram,  
seu ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, nec nos  
facere credendum est. Quam divisionem arridere video *Man-  
tic. de ambig. convent. lib. 14. t. 41. nu. 6.* Non agnoscimus tertiam  
speciem ex *l. 4. §. 1. ff. de statulib.* quæ scilicet pauper de dando ex-  
cussivam pecuniam gravatus sit deductam pro impossibili,  
utpote cui nec natura nec jus repugnat, sed potius difficilis  
reputatur, difficultate autem præstationis nemo liberatur,  
præsertim quia ibi constabat de voluntate testatoris volentis  
magis adimere libertatem quam dare, inutilis igitur erat datio  
libertatis *l. fin. & l. scio 61. ff. de manum. test. Acac. ad l. 3. num. 232.*  
Quarta autem species ad secundum nostræ divisionis mem-  
brum verè reduci potest, ceu ut ipsimet explicant statim ab  
initio corrui nec subsistit adeo ut nullus ejus eventus sit ex-  
pectandus *l. 16. ff. de cond. inst. l. quod quadraginta 89. in pr. ff. ad  
L. Falcid.*

XXXV.

Circa adpositiones earum advertendum non omnium  
unam eandemque naturam & operationem esse. Quæ enim  
impossibiles conditiones in non faciendo conceptæ sunt  
puta si coelum non attigeris actum quemvis purum ac vali-  
dum relinquunt & perindè habentur ac si earum mentio nul-  
la facta fuisset, tam in contractibus quam ultimis voluntati-  
bus; Nec easdem suspendunt cum conditio sit necessaria &  
præsens *d. l. impossibilis 7. de V. O. §. si impossibiles Inst. de inutil.  
stipul. Mantic. de tacit. & ambig. convent. d. loc. nu. 6.* Sin vero in  
faciendo consistant, puta si coelum digito attigeris, tunc aliud  
in contractibus aliud testamentariis dispositionibus obtinet,  
uti Dd. diversis in locis ut plurimum tamen *in l. 1. ff. de cond.  
inst. l. 3. de cond. & demonstr. l. non solum 31. de O. & A. l. impossi-  
bilis*



bilis 7. de V. O. tradunt. Quæ singula ut eò melius percipiantur  
talem constituimus regulam.

XXXVI.

Impossibiles conditiones testamentariis  
dispositionibus adpositæ pro non adjectis ha-  
bentur, nec testamenta vel in eis contenta vi-  
tiant sed ipsæ vitiantur, *vel ut JC. loquitur*, pro  
nullis habentur *d. l. obtinuit 3. ff. de cond. & demon.*  
Controversum enim fuisse apud veteres JC. patet *ex d. l. obti-  
nuit*, qui tamen post controversam sententiam & inter partes  
disputatam hanc tanquam veriore[m] admiserunt, ne scilicet  
testamenta corruerent, sed ipsæ conditiones vitiantur, &  
pro non scriptis haberentur, ut Labeo *in l. mulier 20. de cond.*  
*inst. Julianus l. ab omnibus 104. §. 1. in fin. ff. de leg. 1. text. in l. 16. ff.*  
*de injust. rupt. & l. si quis 6. ff. de cond. inst. l. 12. §. 1. ff. de leg. 1.*

XXXVII.

Impossibile in testamento scriptum nullam vim habe-  
re *Alphenus in l. si Mavia 45. ff. de hered. inst. tradit, fortiter te-  
nendum per l. 1. ff. de cond. inst. ubi secundum Pand. Florent. le-  
gendum mendo non modo* adeo ut mendum idem sit  
ac error, unde dici solet menda scriptura, *l. 2. C. si pign. convent.*  
*num. pec. Anton. Gomez. 1. var. resol. 12. n. 67.* Modo impossibilitas  
in conditione consistat. Sin v. verferur in ipsa re quæ relin-  
quitur ei que adhæret, ipsa dispositio corrui *text. §. fin. Inst.*  
*de leg. 1. 39. §. constat de leg. 1. quem explicat Acac. Anton. in d. l. 3.*  
*n. 220. l. cum servus 39. §. fin. de leg. 1. Castill. de usufr. c. 28. num. 15.*  
*Galgan. p. 2. c. 1. quest. 83.*

XXXVIII.

Adjectæ autem conditiones impossibiles  
contractui illum vitiant & nullum reddunt, siue bonæ fidei  
siue stricti juris sit *d. l. non solum 31. de O. & A. §. si impossibilis inst.*  
*de inutil. stipul. l. impossibilis 7. de V. O. cum essentia eorum con-  
sistat in observatione modi & conditionis, ut docet Sarmient.*  
*lib. 2. select. interpr. c. 3. n. 13. & 14. adeo ne etiam naturalis obli-*

C 3

gatio



gatio inde oriatur *l. impossibile ff. & c. impossibile X. de R. J. in 6.* Ubi dictio nulla cum sit universalis negativa omnem obligationem excludit, multo minus fidejussor accedere potest tali contractui *l. fidejussor ff. de fidejuss. Gomez. 1. var. resol. c. 12. n. 62. & 67.* in quo Scribentes omnes fere concordant.

XXIX.

Sed in investiganda differentiae ratione non omnium una eademque est sententia *Raph. Cuman. in d. l. 1. attestante Pichardo in §. impossibile n. 3.* existimant, nullam congruam assignari posse rationem recurrendo ad remedium *l. non omnium ff. de ll.* Quam assertionem utpote tanto Jcto minus dignam alii rejicientes pro causa ponunt favorem ultimarum voluntatum *Gomez. d. loc. n. 67. Molin. de J. & J. 2. disp. 206. concl. 2. Mantic. de conject. ult. volunt. lib. 1. t. 1. num. 18. per l. 12. de R. J.* Nonnulli e contra in odium testantium impossibiles conditiones à testamentis rejici existimârunt in quam rem adducunt *l. turpia legata 54. ff. de leg. 1. & in l. un. C. his que pœn. nomin. Imperator* rescripsit, si aliquid impossibile quis jussus fuerit tunc sine ullo damno etiam neglecto testatoris præcepto rejiciendum esse *Thadeus Pifo Soar. lib. 2. var. resol. c. 3. nu. 15.* Quidam v. ad utilitatem publicam, cui expedit suprema hominum judicia exitum habere confugerunt *per l. vel vulgare 5 ff. qm. testam aper. l. 1. C. de SS. Eccles. Galgan. p. 1. c. 2. n. 9.* Multi denique in voluntate contrahentium subsisterunt *per text. in d. l. non solum 31. de O. & A.* cum voluntas contrahentium sub impossibili conditione eavideatur fuisse, ne contractus sub ea celebratus valeat *gl. in l. 1. ff. de cond. inst.* quem defendit pluribus *Sarmient. 2. select. interpr. c. 3. n. 15. & alii aliter.*

XL.

Verùm quia hæ omnes pariter in testamentis quam contractibus locum habent, uti in discursu ostendemus, nec genuinam rei differentiam exprimunt, alia quærenda; quam nos in conjecturis positam existimamus. Cum enim ut *th. 37.* ostensum olim controversum & incertum fuerit, num diversum in testamentis & contractibus sit servandum, juris civilis interpretatione opus fuit, quæ ex conjecturis pendet, ac diversa in testamentis atque in contractibus reperiuntur. Et quia



quia jus præsumit contrahentes advertisse impossibilitatem conditionis & eam cogitationem habuisse ne contractus valeat, ideo ex eorum scientia ac voluntate præsumptâ, quæ conjecturam inducit, infirmatur contractus *d.l. non solum ibi* quorum procul dubio in hujusmodi actu talis cogitatio est, ut nihil agi existiment, adpositâ eâ conditione, quam sciunt esse impossibilem. Quæ cessat in testamentariis dispositionibus, utpote cum testator in re tam arduâ & postquam amplius quicquam velle non potest, censendus non sit genus testandi elegisse ad impugnandum suum iudicium *l. 3. ff. de testam. milit.* Sed potius præsumitur errasse mortis cogitatione oppressus *l. hac consultissima 8. ibi.* At cum humana fragilitas mortis præcipuè cogitatione perturbata minus memoriâ possit res plures consequi *C. qui test. fac. possunt 5 l. 1. ff. de cond. inst. ibi.* impossibili conditione adjecta institutio sub mendo, id est, errore facta dicitur, ut supra th. 31. explicatum.

#### XL I.

Quod si tamen conjecturâ hæc cesset, & testator adjectam conditionem impossibilem esse sciat, eo in casu etiam testamentariam dispositionem subverti asserimus, cum testator præsumatur non voluisse aliter legatum relinquere quam sub tali conditione, adeoque cessante conjecturâ tanquam causa ipsius quoque effectus cessat *Acac. ad l. 3. ff. de cond. 5 demonstr. num. 163.*

#### XL II.

Ardua hinc & multis rationibus utrinque pugnantis implicita quaestio: **Utrum dispositio sub impossibili conditione, quam testator possibilem esse putavit, subsistat.** Quod omnes ferè quos ego adhuc viderim negât simpliciter, asserentes ipsam dispositionem annullari *per l. servo manumisso 58. ff. de cond. indeb. ubi ideo conditio indebiti competit quia testator impossibilem conditionem adjecerit quam possibilem existimaverat. Donell. 8. comm. 32. lit. d. Emanuel. Costa select. interpr. lib. 1. c. 9. nu. 2. Galgan. p. 2. c. 1. quest. 83. de cond. 5 demonstr. & alii ibidem allegati.* A quibus dissentit *Sarmient. lib. 2. select. interpr. c. 1. nu. 27.* Existimans legatum



legatum non esse indebitum sed dari conditionem ideo quia post manumissionem originem repetierit legatarius, tunc enim ea quæ de dono manumissoris habent ibi relinquenda esse *text. in l. i. C. de ing. & manum. l. fin. C. quib. ad liber. proclam. l. i. ff. de jur. aur. annulor.*

Quod displicet Gilbert. *Reg. i. Enant. 6.* quem sequitur *Consultiss. Dn. Præses d. loc. lit. d.* statuentes dari conditionem propter errorem testatoris in statu personæ.

Et quamvis istæ opiniones admodum subtiliter sunt excogitatæ stomacho tamen meo non arrident. Existimo igitur in proposita quæstione omninò legatum subsistere & conditionem quam testator possibilem putaverat removeri, & pro non adscripta haberi, motus *text. expr. in l. ab omnibus 104. §. i. ff. de leg. i.* ubi conditio hæc si tabulas reddiderit iis non existentibus tanquam impossibilis pro non scripta habetur, idem probatur *per l. 71. §. falsam h. t. l. libertate 26. ff. de statu liber. l. Stichum 39. §. si Stichus ff. eod. d. l. servo manumis.* igitur non intelligimus de conditione impossibili sed casuali quæ defecit, & ubi statim ab initio legatum nullum fuit, adeoque licite repeti potest *l. quæ sub conditione 16. ff. de cond. indeb.*

XLIII.

Sub quæstionis incudem, hîc revocari video, Num conditiones impossibiles matrimonio adpositæ illud vitient, an v. ipsæ, ut in ultimis voluntatibus annullentur & pro non adjectis habeantur? In quâ Dd. valdè digladiantur; adeo ut *Durand.* dicere nō erubuerit, se hanc difficultatem aliis peritioribus solvendam relinquere *Covarr. v. p. 2. c. 3. §. 2. de desponsat.* eam latè persequitur sed quod cōcludat vix habet. Et sanè attentâ juris subtilitate vix est, ut sustineamus matrimonium. Tum quia matrimonia contractibus annumerantur & à duorum voluntate dependent *l. nuptias de R. J. C. c. cum apud c. tuanos de sponsal. c. sufficiat 27. q. 2.* Cum quia consentire non præsumuntur contrahentes, sed eam cogitationem habuisse, ut nolint contractum valere *d. l. non solum 31. ff. de O. & A.* Etenim juxta *Erasmum*, qui stipulatur quod fieri non potest, declarat se non



se non consentire; ubi igitur illud axioma sine consensu non  
iniri matrimonium *libell. de Christian. matrim. & Cypr. de spon-*  
*sal. c. 8.* pluribus extendit, quò inclinant ferè omnes. *Covarr. d.*  
*loc. nu. 5.* tradit matrimonium sub turpi vel impossibili condi-  
tione contractum annullari, quando constat conjugalem  
consensum defecisse. Alii verò emunctioris naris distinguen-  
dum censent inter conditionem resolutivam & suspensivam,  
illamque si circa substantiam seu finem fuerit adjecta matri-  
monium vitare, istam v. vitari & pro non dicta haberi, ob  
rationem generalem quod ea, quæ contra substantiam con-  
tractus adponuntur, vitiant contractum, quibus suffragatur  
*text. in c. fin. de condit. adposit. in desponsat. Acac. Anton. ad l. 3. de*  
*condit. & demonstr.*

XLIV.

Verùm quia tolerabilius censetur contra hominum  
statuta conjugatos retinere quàm legitimè conjunctos con-  
tra legem Dei separare *c. licet 47. in fin. de testib. c. tua nos 26. de*  
*desponsat.* Equius est ut conditiones impossibiles favore ma-  
trimonii rejiciamus, sive naturâ sive de facto tales sint. Quam  
sententiam communis Interpr. & Theolog. schola fovet teste  
*Cypræo de sponsal. c. 8. §. 6.* & probari videtur per *c. quicumq. 27.*  
*q. 2.* Quia enim in causa matrimoniali tam grave animæ pe-  
riculum versatur subtilitas juris non est attendenda *Acac.*  
*ad d. l. 3. num. 103. & seqq.*

*Membrum seu Caput tertium.*

III. Cap.

Quibus negotiis adjici possint, & quænam in-  
ter contractus & ultimas dispositiones hic  
differentia.

XLV.

Cum in immensum semper crescat materia inquirendi,  
operæ pretium me facturum reor si negotia quibus conditio-  
nes adjici possint vel non; inspiciamus. Quæ quia multifaria  
& plura quàm rerum vocabula inveniuntur, hîc evitandæ  
confusionis ergo segregemus dispositiones testamentarias à

D

contra-



contractibus & aliis negotiis; in illisque talem constituimus regulam: Ultimis voluntatibus qualis conditio sive concernat fundamentum ipsum, id est, hæredis institutionem, sive ad minicula & adjacentia puta legata fideicommissa, &c. adijci potest §. *heres* 10. & §. 12. *Inst. de hered. instit. l. 1. ff. de cond. & demonstr. l. fin. C. de legat. & toto tit. de cond. instit. Wesenbec. in paratit. de hered. instit. n. 6. & de leg. 1. num. 7. ubi Dd. communiter. Dauth. de testam. fol. 238. n. 284. Thadeus Pifo Soar. lib. 2. var. resol. c. 3. num. 13. Quò pertinent omnes substitutiones quæ nihil aliud quam conditionales institutiones dici possunt *t. t. ff. & C. de subst.* Nec obstat quod dici adjectioni objiciunt *ex l. 34. de hered. Inst. §. heres Inst. eod.* Cum pendente conditione res omnis in suspenso sit, & eâ existente ab initio testatus, eâ deficiente intestatus decessisse videatur *l. 54. de acquir. hered. l. 138. de R. J.**

#### XLVI.

Idque eatenus verum esse existimamus, ut & suus hæres sub conditione quavis institui possit sive in primo sive secundo gradu, uti filiam, nepos, &c. existat, etiamsi eum nemo præcedat & primum in successione ab intestato obtineat, gradum *pr. Inst. de exh. liber. l. 6. §. 1. ff. de hered. inst.* ibi sub omni conditione institui possunt, etsi redigantur ad filii conditionem *text. expr. l. in l. suus heres 4. ibid. Bartol. ff. de hered. instit. l. 1. §. 8. ff. de suis & legit. ibi nepos sub omni institutus Donell. 6. comm. 12. Gerhard. de testam. disp. 3. thes. 52. Dissentit Clarus lib. 3. sentent. quest. 39. nu. 3. de nepote, si nemo eum gradu præcedat. Duar. ad tit. de condit. Inst. c. 4. existimans l. 7. C. de inst. & subst. de emancipata filia esse exaudiendam & negantes hoc ostendere se non nosse rationem legum interpretandarum omnino carere iudicio, nec dignos esse, qui juris interpret. se profiteantur.*

#### XLVII.

Quod in filiofam. non simpliciter accipiendum, cum enim ille necessario instituendus vel nominatim exheredandus sit *pr. Inst. de exh. liber. l. inter cetera 30. l. 31. & l. 32. de liber & posthum.* Non quidem *ex l. 12. tab.* propter liberrimam testandi facultatem, quam quisque paterfam. illo jure habebat, ibi uti quisque



quisque legasset suæ rei ita jus esto *l. verbis 120. ff. de V. S. l. in suis 11. ff. de lib. & posthum. l. ult. C. de patr. potest. l. Div. 5. ff. de L. Pomp. de parricid.* Cur enim non liberè & audacter pater filios præterire potuerit, in quos omne jus etiam occidendi habuit *Gerhard. disp. 3. de testam. th. 1.* Sed mediâ jurisprudentiâ, autoritate nim. prudentum, qui ante Imperatores floruerunt §. *Cæterum 3. Inst. de exhered. liber. & l. Gallus 29. §. 7. ff. de lib. & posthum.* obtinuit eundem sub conditione potestativa tantum, institui posse *text. in d. l. suus hæres ibi & quidem sub ea conditione, quæ in ipsius potestate est inter omnes constat ff. de hered. Inst. l. Lucius Titius 83. de cond. & demonstr. l. fin. ibi* sed ita demum testamentum ratum est, si conditio fuerit in filii potestate & arbitrio *l. 1. §. 7. ff. de suis & legit. Clar. in §. testamentum q. 39. n. 1. Leand. Galgan. p. 1. q. 26. n. 1.* Ne eâ non existente, quod facile contingere potest, contra leges reperiatur præteritus; imò non expectato eventu statim pro præterito habetur quasi nec expressè institutus nec exheredatus §. *eadem Inst. de hered. quæ ab intest. defer.* Nisi sub contrariâ conditione exheredetur *l. 4. C. de Inst. & subst. l. jam 86. in pr. ff. de hered. Inst. Marius Salomon. ad l. Gallus fol. 45. lit. c.* Idque ideo in filiis tantum, quia in legibus Solonis, unde verba *l. 12. tab. desumpta erant,* sola filiorum mentio facta fuit, quod à Decemviris omissum, ad conservandam inviolatam patri in filios potestatem *Angel. Spannoch. in rubr. de liber. & posthu. partic. 4.* Quæ ratio cessat in filia & nepotibus, quamvis purum gradum & jus sui obtineant, cum sufficiat illos inter cæteros exheredari *d. pr. Inst. de exher. liber. Consultiss. Dn. Præses ad Donell. 6. comm. 11. lit. d. & comm. 12. lit. e.* imò impunè præteriri illo jure poterant, ne tamen injuria affecti viderentur habebant jus accrescendi *Ulpian. in fragm. tit. 22. Cajus de exhered. liber. §. 1.* Quæ prærogativa in filiis adhuc militat, licet ex Justiniani Constitutione eod. jure sint filia cæteri que liberi; quo filii §. *sed hæc quidem. Inst. de exher. liber. l. 4. §. sancimus C. de lib. præter.* cum illa exæquatio tantum facta sit respectu Institutionis & exheredationis, non v. conditionum, in quibus jus vetus mutatum non reperitur *Donell. ad l. 4. C. de Inst. & subst. Vasqu. lib. 3. controu. 106. num. 5.*



XLVIII.

Nec illud de omni conditione potestativa, quatenus à casuali & mixta distinguitur, sed ea tantum intelligi debet, quæ in potestate filii est, & ab eo de facili impleri pōt *d. l. suus heres 4. §. puto ff. de hered. Inst. Cuman. ad l. fin. nu. 3. ff. de condit. Inst.* Cæterū si sit difficilis nec eam licitè filio adjici putamus *Acac. Anton. ad d. l. 2. n. 17. Marius Salomon. d. l. Gallus fol. 31. lit. B.* Cum conditio difficilis impossibilis reputetur *l. apud Julianum 5. ff. de hered. Inst. l. continuus 137. §. illud ff. de V. O. Emanuel. Aco- sta lib. 1. c. 8. nu. 9. & 10.* sed dispositio sub conditione tali facta, habetur pro pura *l. 1. §. que sub conditione ff. si quis omiff. causa test. l. si ita stipulatus, ubi Raph. Cuman. num. 2. ff. de V. O.* vim habet præcepti *l. 64. de leg. 2. l. 11. §. 9. ff. de leg. 3. l. 2. in pr. C. comm. de leg. §. fin. Inst. de reb. singul. per fideicom.* Et filius non implendo eam videtur spontè hæreditatem respuere *l. jam dubitari de hered. Inst. Clar. ad §. testam. q. 39. nu. 1.* quod pulchrè ad usum, fori accommodat *Surd. dec. 232.*

XLIX.

Etiamsi conditio sit impossibilis, quæ alias rejicitur à testamento, ut supra diximus, ita ut & ea adjecta filiusfam. institutio corruat: Ratio quia peccavit in forma quæ est in testamento ut instituatur vel exhæredetur filius; & sic quicquid ordinabatur ante hæredis institutionem nullum erat *§. ante hæredis Inst. de leg. 1. inter cetera ff. de lib. & posthum. Raphael. Cuman. ad l. 1. ff. de hered. Inst. per text. expr. in l. 15. ff. de condit. Inst.* Sed hic in difficilimum & intricatum juris labyrinthum incurrimus, quod habetur *in l. quoniam 22. C. de inoff. testam.* Ubi Imperator omne onus & conditionem à legitima removen- dam ait, ut ita res procedat, q. nihil eorum testamento additum esset. Exinde oritur quæstio: Num testamentum in quo filiusfam. sub conditione casuali vel mixta institutus, hodiè sit nullum, an verò subsistat & cōditio seu onus removeatur nec ne? In quâ difficultate tres Dd. inveniuntur sententiæ: 1. Eorum, qui existimant totum adhuc corrumpere testamentum *Donell. 6. comm. 19. lit. c.* Alii verò testamentum subsistere & conditio- nem



nem pro non adjecta haberi *d. l. quoniam.* quò inclinatur  
*Gail. 2. obs. 120. n. 12. Crass. lib. 3. q. 39. n. 3. & seq.* Nonnulli v. me-  
diam eleganter viam à legitimâ tantum removeri onus seu  
conditionem, in superflua a. hæreditate omninò adimplen-  
dam esse conditionem asserunt. Quorum sententia verior,  
*Dauth. de testam. fol. 238. n. 285. & seq. per allegatos ibid.* ratio est:  
quia filius in reliquo patrimonio ultra legitimam habetur,  
pro extraneo, & certum est extraneum sub quavis conditio-  
ne institui posse, ut supra dixi; & si cohæredem non habeat,  
filius, hæreditas ei accrescit etiam conditione non advenien-  
te *Crass. q. 37. num. 2. subtilissimè Thad. Piso Soar. lib. 2. var. re-  
sol. c. 3. num. 14.*

L.  
Utrum institutio talis: **Mævius cum morietur  
hæres esto, conditionalis sit, nec ne?** Acriter inter  
se pugnant Dd. & quidem post mortem nemo hæres aut le-  
gatus recte instituitur; cum morietur rectissimè inquit *Cu-  
jac. 3. obs. 34. per l. 79. d. cond. & demonstr.* Ita tamen ut distingua-  
tur inter extraneum & filium in potestate existentem, ille li-  
citè sic instituitur, hic v. non: cum ob longiorem moram,  
haud absimilis sit præteritioni ista institutio. Quod utrumq;  
si dextrè intelligatur, est verissimum, neque inficias eundem  
hodiè institutionem ita factam subsistere, sed utrum con-  
ditione importat illa formula, ita ut aditio usque  
ad mortem ipsius hæredis seu legatarii suspendatur? hic rho-  
dus hic saltus: Affirmat *Cujac. per l. 9. C. de hered. Inst. & arg. l.  
in tempus ff. eod. l. si mater ff. de vulg. & pupill.* cum multa tacitè  
permittantur, quæ expressè fieri non possunt, sequitur *Hotto-  
man. & Heig. Inst. de hered. instit.* Quod nullatenus nobis pro-  
batur, tum quod institutio ista non conditione sed mora su-  
spendatur *text. expr. in l. 79. de cond. & demonstr.* Cum quia con-  
ditio non potest non existere nec actum suspendit, ut *supr. th.  
14. & 24. in fin.* Statuendum igitur cum *Dauth. de Instit. hered.  
nu. 292.* Temporis vi. ium subducendum esse quo sublato insti-  
tutio pura manet *per text. in l. 34. ff. de hered. Inst.* adeo ut hæ-  
res ita institutus quamque adire possit hæreditatem; ne aliàs

D. 3.

pro



pro parte testatus pro parte intestatus decessisse videatur, sequitur *Gomez. 1. var. resol. 2. n. 11. Gerhard. de testam. disp. 3. tb. 47. eleganter Thadeus Pifo Soar. lib. 2. var. resol. c. 3. n. 3.* Nec obstat *d. l. 9. cum ibid. Imperator non de morte hæredis, sed extranei loquatur, Donell. & Jason. ibid.* quæ conditio licet certa & deficere non possit, incertum tamen est utrum vivo hærede sit extitura nec ne? Multo minus *d. l. in tempus aut l. si mater.* utpote quæ revera conditiones importent, multa enim contingere possunt etsi non adoleverit vel ad pubertatem pervenerit *vide Crass. §. Institut. q. 24. nu. 4.*

L I.

Satis constanter veteres decreverunt testamentorum jura ipsa per se firma esse oportere, non ex alieno arbitrio dependere *l. illa Institut. 32. ff. de hæred. Inst.* Unde conditio in voluntatem alterius collata, tam institutionibus quàm legatis vitiosè ascribitur. Puta si Titius voluerit Mævius hæres esto; *l. si quis 68. ff. de hæred. Inst.* Etiam si tacitè subintellecta vires habeat, puta si Mævius Capitolium ascenderit *d. l. si quis 68.* Nonnunquam enim contingit, ut quædam nominatim expressa officiant, quamvis omissa tacitè intelligi possint nec essent obfutura, inquit *Modestin. in l. nonnunquam 52. de cond. & demonstr. l. expressa 195. de R. J.* Nulla enim legi hîc fit fraus, utpote quæ non adjici sed exprimi prohibuit.

L II.

Et quanquam Mævii voluntas hîc etiam versetur, conditione tamen exprimitur factum ejus à voluntate prorsus separatum; nudum ejus factum inspicitur non voluntas. Cum conditio dicatur impleta licet expressè protestatus sit se animo implendæ conditionis non ascendisse *Duaren. de cond. Inst. c. 4. fol. 415. Donell. 8. comm. 15. ibidemq; Hilliger. subtilissimè lit. D.* Quinimò licet ignorans in suam personam conditionem scriptam esse ascenderit, conditio tamen impleta dicitur *Dauth. de testam. fol. 30. nu. 31. Crass. §. Institut. q. 24. nu. 4.* Sed multum negotii hic facessant *l. 43. §. 2. de leg. 1. l. 1. ff. de leg. 2. & l. 46. §. 2. de Fideicom. libert. unde Hottom. 1. amicabil. 5. motus JC. dissensisse*



diffensisse statuerit, uti & Francisc. Sarmient. 2. select. interpr. 6.  
n. 29. quibus satisfacit Donell. d. loc. & Hilliger lit. F. Gerhard. de  
testam. disp. 3. tb. 54. eleganter.

L III.

In alterius tamen tanquam boni viri arbitrium institu-  
tio conferri non prohibetur d. l. 1. de leg. 2. cum voluntatis duæ  
sint species arbitrium sc. & mera voluntas Hilliger. ad Donell.  
d. loc. per l. 1. §. 7. & seq. de leg. 3. & l. 75 de leg. 1. l. si quis arbitrato  
de V. O. ibid. Donell. nu. 6. & Bologn. n. 126. & 146. Utrum autem in  
Legatarii voluntatem, puta lego Mavio si voluerit, conferri  
possit? multi dubitarunt. In qua affirmativam eleganter  
tuetur Donell. 8. comm. 15. in pr. nec quia aliàs tacitè inest inuti-  
liter exprimitur illa cōditio ut existimat Gomez. 1. resol. 12. n. 47.  
Cum transmissioni locus nō sit in tali legato nisi voluntatem  
declaraverit legatarius l. si ita 65. ff. de leg. 1. & l. 69. de cond. & de-  
monstr. In hæredum institutione autem, quæ non nisi volenti  
defertur supervacua est l. 69. de hered. Inst. Quamquam in hæ-  
rede necessario conditionem faciat l. 12. ff. de cond. Inst. non  
quidem quoad effectum suspensivum, sed ut ex necessario vo-  
luntarium faciat d. l. 69. Cujac. 16. obs. 39.

L IV.

Alia ab hac & prorsus diversa conditio est illa uti Coras.  
§. miscell. 13. ostendit: Cum quis hæredem scribat sub conditio-  
ne, si ipse ab aliquo, sive instituto sive alio instituatur, quam  
Captatoriam vulgò nominant l. Captatoria 70. & l. seq. ff.  
de hered. Inst. Cujac. 16. obs. 11. Donell. lib. 6. comm. 19. Ubi tra- It er-  
rare omnes qui captatorias non discernant à collati- alien-  
nam voluntatem ibi Hillig. lit. F. Dautb. de testam. n. 25. U-  
hæreditatibus nec legatis valet, sed ipsam dispositionem vi-  
tiat l. captatoria 64. de leg. 1. licet voluntas sit mitior l. 11. C. de  
testam. milit. non quod ab arbitrio & voluntate alterius de-  
pendeat ut Simon de Præcis de interpr. ult. volunt. lib. 2. interpr. 1.  
sol. 2. & alii existimant, sed ideo quia turpe sit alienam captare  
hæreditatem vel suam deferre ut uberius nobis obveniat, uti  
de viscatis & humatis muneribus scribit Plinius lib. 9. Epist.  
Nec etiam vocantur captatoriæ quod hæres decipiatur, cum  
ille non obstringatur sed pro libitu testari & quemvis insti-  
tuere



tuere possit, quamvis ipse prior testator hoc animo fuit ut si-  
mulato officio mutua ipsius voluntatem provocaret *Do-*  
*nell. d. loc. lit. E.* Ubi probè notandum: conditionem istam pu-  
ta: Quia me hæredem instituit, instituo, captatoriam non esse  
*d. l. 71.* Cum præsumatur remunerandi gratiâ facta, uti elegan-  
ter tradit *Gothofred. ad l. 11. C. de test. milit. & probatur per d. l. 70.*  
*in pr. & l. 81. §. 1. ff. de hered. Inst.* Id quod propter textus & ra-  
tionis generalitatem indistinctè etiam de conjugibus accipi-  
mus. Quamvis ex mutua eorum institutione sicut in aliis  
præsumpta captio cessat. *Sarmient. 2. select. 4. & alleg. ab Hillig.*  
*ad Donell. d. c. 15. in fin.*

L V.

Jurisjurandi conditio olim tam Institutionibus  
quàm legatis adponi poterat, puta lego vel instituo si jurave-  
rit, quæ à Pratore causa cognita interdum remittebatur, ut *Ci-*  
*cero in Pratura urbana de P. Tribonii* testamento testatur, *Cu-*  
*jac. §. obs. 1.* Illam autem hodie tam in Institutionibus quam le-  
gatis pro non scripta haberi existimo *text. in l. quæ sub conditio-*  
*ne 8. ff. de condit. Inst. l. 20. & l. 26. ff. de cond. & demonstr.* Etiam in  
testamento militis *l. 29. §. 2. ff. de testam. milit.* Cum enim non-  
nulli contemptu religionis faciles sint ad jurandum propter  
spem lucri, uti *Catullus* inquit: Qui dum aliquid cupiens ani-  
mus prægestit adipisci, nil metuit jurare, nec jurans facile  
Deum timet *c. etsi Christus de jurejur.* Quidam v. metu divini  
nominis perquàm timidi atque adeo trepidi quæcunq̃ue al-  
tari iungunt; ideo ne illi male jurantes admitterentur; Hi  
verò iurantes relictum omninò perderent. Prator istam  
conditionem reprobavit Edicta que perpetuo remisit *l. 1. §. 2.*  
*& 3. ff. ad L. Falcid.* Quamvis diversum obtineat in relictâ  
libertate *l. 12. ff. de fideicom. libert.* Cum juramentum ibidem  
vim habeat contractus in quibus conditio ista non remitti-  
tur. Nec opus est ut cum *Cujac. d. loc.* interdum turpem esse  
istam conditionem dicamus, interdum v. non, quem movit  
*l. Antistius 62. de acquir. hered. & l. Municipibus 97. ff. de cond. &*  
*demonstr.* Siquidem ibi non necessitas jurandi hæredi impo-  
nitur, sed disceptatur, an præstito juramêto aditio præsumatur,  
quod *JC. negat.* Ad *d. l. Municipibus* responderi potest; Eos  
scilicet qui-



scil. quibus commissa est summa Municipii *d. 14. ad Municipal.*  
jurare debere, se probè legatas res esse in usum cōmunem ge-  
sturos. Ejus enim gratiā relictæ sunt illæ res *arg. l. 122. pr. de*  
*leg. 1.* Nec ista juramenti conditio est impossibilis *d. l. 97. de*  
*cond. & demonstr.*

LVI.

Inde hoc dubium resultat, quod apud Accurs. & alios  
De controversiam sentit: Num conditio illa jurisju-  
randi vi fideicommissi sustineatur nec ne? Quod  
voluisse videtur *Papin. in l. 77. §. filius matrem 23. ff. de leg. 2.* Ubi  
mater rogata ut fideicommissa cum jurisjurandi religione  
præstaret, licet testamentum fuerit nullum, nihilominus fi-  
deicommissum præstare tenetur sub illa conditione, cum te-  
stator præsumatur voluisse ut cum effectu perveniat, sequitur  
*Gotbofr. ad l. 2. C. comm deleg. lit. q. & alii relati à Covarr. in c.*  
*Raynutius §. 3. de testamentis.* Concludens ibidem ab hærede  
præstitum esse juramentum *Alciat. c. cum contingat n. 95. & seq.*  
*de jurejur.* Verum ista omnia tanti momenti non sunt ut ge-  
neraliter regulæ *d. l. que sub conditione* restringant, cum  
alias id quod uno modo prohiberetur altero permissum esset.  
Defendemus igitur conditionem istam omnino removeri  
nec ullo modo convalescere, sed prorsus invalidam & nul-  
lam esse, eundemq; cui sub jurisjurandi conditione quid reli-  
ctum est, ita capere ut capiunt, hi quibus nulla conditio inse-  
ritur *d. l. que sub conditione 8. ff. de cond. Inst. & l. hæc scriptura 26.*  
*ff. de cond. & demonstr.* Nec evincunt id quod putant *ex d. §. fi-*  
*lius matrem.* utpote qui loquitur in casu, ubi ipse testator jura-  
mento tabulas confirmaverat propter defectum solennita-  
tum, quia igitur juramentum deliberatissimam ejus volunta-  
tem inducebat, & vim clausulæ codicillaris haberi existima-  
batur, merito fideicommissum subsistit quamvis testamen-  
tum nullum sit *Fabius Turret. de claus. codicill. q. 1. & seqq. Acac.*  
*Anton. ad l. 3. n. 39. ff. de cond. & demonstr.*

LVII.

Singulari matrimonii favore, Lege Julia & Papia, teste  
*Brissonio de jure connubior. p. 6. & Hottoman. in Indice Ll. Rom.*

E

cautum



cautum erat ut omnis conditio impeditiva matrimonii, quæ  
scilicet concepta erat de non contrahendis nuptiis à testamen-  
tis removeretur, actusque semotâ conditione purus remane-  
ret, & perinde sit ac si conditio adjecta non fuisset *l. sed si 62. §.*  
*fin. l. cum falc. 72. §. 5. ff. de cond. & demonstr. Covarr. c. quamvis de*  
*part. in 6. p. 1. §. 3. num. 34.* Idque non favore testamentorum, ut  
*Cypr. de sponsal. c. 8. §. 8. tradit,* sed propter sobolis procreatio-  
nem & ut civitas liberis impleretur *l. 1. ff. sol. matrim. ibidemq;*  
*Dd. text. expr. in l. hoc modo 64. de cond. & demonstr.* Contra na-  
turam n. conditionem nuptias impredientem reputârunt  
*Emanuel. Acoffa ad pr. de cond. & demonstr.* & magis interesse  
Reipub. videri sibi civitatem libris legitimis abundare *l. cum*  
*ratio §. plures 3. de bon. damnat.* Sive directò sive obliquè illud  
fiat puta si patri relinquatur ne filia nubat, vel filio ne pater  
ducatur uxorem *l. 79. §. fin. de cond. & demonstr.* Cæterum si extra-  
neæ personæ puta Titio centum si Maxia non nupserit lega-  
tur, conditio sustinetur eleganter *Alberic. Gentil. de secundis*  
*nupt. c. fin.* Hinc Romani, quibus caelebs vita maximè odiosa  
fuit, teste *Valer. Max. lib. 11. c. 222.* mutuarunt à Lacedæmoniis  
legem latam quâ damnarunt uxorem ducere nolentes vel se-  
ro ducentes, poenâ censoriam in eos statuentes *Acac. ad l. Titio*  
*centum nu. 7. ff. de cond. & demonstr.*

#### L VIII.

Quia a. vidua primo marito contenta, commendabilis  
ac exemplar honestatis & pudicitiae judicatur *Novell. 2. c. 2. ibi*  
*optimum, & c.* Unde secundæ ejus nuptiæ honesta fornicatio  
nuncupantur *in c. hac ratione 31. q. 1.* Et novissimi sceleris repu-  
tabatur despiciere ita fluctuantem defuncti voluntatem, ut ei  
detur licentia nubendi & accipiendi quod relictum est & per  
omnia contristandi maritum defunctum tribus maximè ne-  
glectis, Deo, Defuncti memoriâ, & Charitate sobolis. *Novell.*  
*22. t. 40.* Justinianus hæc omnia unâ cum adjectione illa ju-  
ramenti à Julio Miscello introducta, vel præstitæ cautionis se-  
scilicet. ad secundas non transituram nuptias, quam Q. Mutius  
Scævola præfanciverat & *in l. 2. C. de secundis nupt.* antea ab  
Imp. mutata erant, *Novell. sua constitutione 22. c. 44.* san-  
xit ut quidem licitum sit conjugi transire ad secunda vota,  
relictum



relictum autem capere non possit nisi pareat conditioni & à nuptiis abstineret. Unde consequitur istam conditionem si non nupserit hodie in vidua omnino licitam esse. Quæ etiam ad masculos extendi potest *l. sed si 62. §. fin. ff. de cond. & demonstr. l. fin. C. de ind. viduit.* ex natura correlativorum *l. non dubium 14. in pr. ff. de leg. 3. d. Novell. 22. Alberic. Gentil. de secund. nupt. c. 20.*

LIX.

Legatum dotis seu nuptiarum causa relictum num conditionale sit, tam controversum esse tradit Heig. *quest. 31. lib. 1.* ut vix aliquid certi inde colligi possit: Quibusdam existimantibus illud purum, aliis modale esse sciscitantibus. Quorum discussio nibus relictis quas supr. thes. 33. inter tacitas condiciones retulimus, conditionale esse pro certo habemus. Ratio quia promissio dotis causa cui legatum annumeratur *l. 21. ff. de V. O.* in se habet conditionem illam, si nuptiæ sequantur *l. promittendo 41. §. 1. de jur. dot. in testamento 31. conditionem 91. de cond. & demonstr. & plures textus quos allegat Heig. d. loc. sequitur Gerhard. de testamentis disp. 6. th. 42. Emanuel. Aosta select. Interpr. c. 22. n. 5.* Unde consequitur ipsa defecta ante nuptias contractas ad hæredes legatum non transmitti *Mantic. de conject. ult. volunt. lib. 11. c. 18. num. 19.* Insignem hujus quæstionis usum ostendit Hartman. Pistor. in feudis. Ubi fœminæ dos ex feudo relicta eâ decedente penes successores feudales remanet *lib. 2. q. 37.* Quæ omnia procedunt nisi mens testatoris, quæ in ejusmodi adpositionibus dispositionem regit, & sola attenditur *l. 19. ff. de condit. & demonstr. diversum suadeat vel filia dos in legitimam quæ nullo modo potest gravari, imputetur, nec conditionem admittit l. quoniam C. de inoff. testam. Dissent. Nicol. Valla de reb. dub. tract. 14. & 11. in legato per vindicationem relicto.*

LX.

Contractus quod attinet pariter ut testamenta conditiones recipiunt ad hoc ut effectum suspensum habeant. Si modo in continenti adjiciantur *arg. l. juris gentium 7. §. quinimo ff. de pact. & l. lecta de Reb. Cred.* Cætero quin si ex intervallo fuerint



lo fuerint adpositæ contractum conditionalem non faciunt; illæ enim propriè conditiones sunt, quarum eventus deducit rem de potentia ad actum, & ideo quæ adjicit rei in actum productæ conditionis vim non meretur, quamvis contractum resolvat *l. 2. ibid. gl. & Gotbofr. de In diem addit. Mantic. lib. 14. Vatican. lucubr. t. 41. num. 24.* Unde quæstio illa: **Utrum stipulatio ista, promittis cum petiero, conditionalis sit nec ne?** Quid negat verum *in l. si decem 48. de V. O.* cum ista stipulatio magis admonitionem quam conditionem habeat & *text. expr. in l. Titia 85. de cond. & demonstr. l. si ita quis 135. de V. O.* ubi exactio tantum dilata dicitur *Mantic. lib. 14. Vatic. lucubr. tit. 41. nu. 19. Zas. ad d. l. si decem n. 4. Dissent. Coras. ibid.* qui putat vocabulum, magis, comparativè sumi adeoque obligationea antea autem non esse existimat *per l. 6. §. ff. de tutel. & text. in l. 48. de cond. indeb.*

LXI.

Quemadmodum igitur ut paulo ante notatum in voluntatem hæredis legatum conferri non potest *l. Senatus 47. §. 2. de leg. 1. l. 11. §. 7. de leg. 3. & l. 69. ff. de condit. & demonstr.* Ita nec contractus subsistit ubi conditio in voluntatem debitoris collata est, puta promittis si volueris *l. stipulatio non valet 17. l. centesima 46. §. per de V. O. l. hac venditio 7. ff. de contrab. empt. l. 2. §. Scævola ff. de eo quod cert. loc.* Pro non dicto enim habetur, quod dari nisi velis cogi non possis *l. sub hac 8. ff. de O. & A.* & promissor nullo obligationis nexu sit constrictus contra *pr. Inst. de V. O.* Deinde obligatio ex voluntate debitoris statum caperet, quod est contra *l. 108. §. 1. ff. de V. O. text. valde notabilis in c. commissæ §. porro in elect. in 6. ibi ac statutum ipsum ludibrio exponetur debitoque frustratur effectum *Donell. ad l. 17. de V. O. Anton. de Padill. ad l. 1. ff. de leg. 2. nu. 7. Jacob. Schultes præct. quæst. 26. Cardin. Mantic. d. loc. nu. 21.* Alia & diversa est illa adjectio *in d. l. 46. §. 2. ibi cum volueris,* quæ non ipsam obligationem sed executionem differt, uti elegantem differentiam inter Cum & Si *Forster. de success. c. 11. notat.**

LXII.

Illud in propatulo est sponsalibus quamlibet conditionem



nem posse adjici modò honesta sit *c. de illis c. super eo & t. t. de  
condit. adposit.* Unde ab Interpr. communiter in pura & condi-  
tionalia dispescuntur *Wesembec. in paratit. de sponsal. n. 3. in fin.  
Cypr. de jure connub. c. 8. §. 1. eleganter* de quo nemo ferè dubi-  
tat, sed utrum matrimonium seu nuptiæ con-  
ditionem admittant admodum controver-  
sum video? In qua missis ambagibus negativam arripi-  
mus. Distinctione enim illa Canonistarum inter sponsalia de  
præsenti & futuro jamdudum explosâ *arg. l. 1. de sponsal. l. si u-  
xor 13. §. 3. ff. ad l. Jul. de adulter. l. 1. §. 1. ff. pro dote ibi* in futurum  
tantum concipiuntur & definiuntur sponsalia: quæ enim de  
præsenti nominant sponsalia omnem veri conjugii effectum  
habent *Beust. de sponsal. c. 7. & 8. Martin. Luther. in libell. von  
Ehesachen.* De natura & substantia matrimonii est, ut statim  
fortiatur effectum & indissolubilem vitæ consuetudinem  
contineat, quod conditio adjecta cujus eventus dubius &  
incertus est, non patitur, utpote quâ existente subsisteret, ea v.  
deficiente matrimonium evanesceret. Deinde constat quod  
matrimonium à Dd. annumeretur actibus legitimis qui con-  
ditionem non admittunt *l. actus legitimi ff. de R. J.* Tertiò  
hoc probatur *ex c. 5. de cond. adposit.* Ubi conditione existente,  
quis cogendus ad matrimonium contrahendum, qui sub  
conditione in mulierem consentit. Ergo antea contractum,  
dici non potest, nec ullo juris textu potest probari matrimo-  
nium conditionem admittere & alias rationes quas addu-  
cunt *Covarr. qui falso pro contraria assertione allegatur p. 2. c.  
3. de sponsal. nu. 3. Cypr. de jur. connub. c. 5. §. 32. & c. 8. §. 11.* Nec quic-  
quam movet quod conditio illa puta, duco te si decem dede-  
ris, sit licita, quia verba illa de præsenti propter conditionem,  
adjectam non matrimonium sed sponsalia inducunt, de iisq;  
idem judicandum, atque de simplici promissione per verba  
de futuro *Beza de divort. pag. 9.* utpote quæ sui natura in futu-  
rum respiciunt *Alberic. Gentil. 3. parerg. 5.* Nisi forsan verba ad  
rem conferantur & copula carnalis fuerit subsecuta, tunc e-  
nim à conditione ipso facto recessisse videntur *c. per tuas de  
cond. adposit. ibid. gl. Cypr. c. 8. §. 7. Schurff. consil. 57. cent. 1.*



*Beza de Divort. pag. 10. Superioribus contradixit Thoming.  
quest. 10. num. 15.*

LXIII.

Unde conditio ista: **Ducam te si virginem in-**  
**venero, communiter a Dd. tanquam turpis re-**  
**jicitur, si ad periculum copulae carnalis referatur,**  
*Covarr. p. 2. q. 3. n. 16. gl. in c. per tuas de cond. Isto enim casu ipsi*  
matrimonio quod copula subsecuta statim contrahitur, inef-  
fet conditio contra ejus substantiam ut latius jam disserui.  
Matrimonium igitur tenet sive virgo inventa fuerit sive non.  
*Beuf. de sponsal. c. 18. idque ut perulantiae & malitiae eorum qui*  
pudicitiae imbecillis sexus insidiantur frenum injiciatur.  
*Phil. Melanch. in loc. de conjug. Quando autem quaeritur, num.*  
ista conditio ad actum licitum puta aspectum honestarum  
matronarum & obstetricum possit referri, in affirmativam,  
communiter abeunt *Covarr. d. loc. Cypr. c. 8. §. 9. Cum enim, in-*  
quiunt, puella sibi conscia sit, non debet fallere excipientem,  
quod honestum est, praesertim quia ex sacris literis constat,  
compressam extra urbem fuisse reductam & lapidatam a po-  
pulo *Deuteron. 22. Sed mihi confundere videntur, utrum in-*  
contrahendis sponsalibus iste modus statim adjiciatur, an vero  
conditio generaliter tantum ab initio exprimatur; priori ca-  
su ipsis non contradico, siquidem expressa conventio sponsae  
consensum & voluntatem satis arguat a qua absque suspicio-  
ne recedere nequit: sin vero ad casum posteriorem etiam ex-  
tendant de quo procul dubio contrahens puella non cogita-  
verit, manifesta injuria ipsi inferretur, si teneatur se exponere  
& subicere periculo arbitramenti, utpote quod non raro ca-  
sibus fortuitis annumeratur; cum quia non modo igno-  
miniosum puellae, cujus pudicitia in dubium revocatur, tum,  
quia manus obstetricum & oculi saepissimè fallantur *c. nec ali-*  
*qua 27. quest. 1.*

LXIV.

Si quis foeminae matrimonium sub conditione promit-  
tat, puta si pater vel cognati consentiant & postea conditione  
pendente cum alia pure sponsalia contrahat an poste-  
riora



riora prioribus præferenda, ardua & in praxi frequentissima est quæstio? In quâ quamvis attentâ juris civilis ratione negativam fundatam ait *Cypr. de jure connubior. c. 8. §. 3. per l. potior 11. §. videamus & l. qui balneum ff. qui potior. in pignor.* Communi tamen Dd. calculo Canonistarum ut benignior recepta est sententia, adeo ut sponsalia posteriora pura prioribus omninò anteponenda & firma maneat *c. super cogl. in c. per tuas & c. cond. adposit. & ibid. Panormitan. Beust. de sponsal. c. 19.* per rationem quod conditionalia sponsalibus de futuro æquiparentur quæ per præsentia tolluntur *c. sicut ex literis de sponsal.* Nec ante conditionem existentem consensum habeant nec ulla publicæ honestatis justitia exinde oriatur. *c. un. in fin. de sponsal. n. 6. & ita in nostris Consistoriis indistinctè judicatur.*

LXV.

In sententiis num conditio adjici possit, inter practicos controversum habeo? Distinxerunt communiter Dd. inter conditionem extrinsecam quæ de aliquo actu extraneo interponitur, qui nullam cum lite motâ habet cõformitatem puta *condemno te si consul factus fueris Vantius de Nullitat. ex defect. process. num. 111.* Et conditionem intrinsecam quæ ex actis assertoriis vel probatoriis dependet, puta, si juraverit, probaverit, condemno, absolvo, & c. *uti in eleganti specie l. à D. Pio 15. §. 2. ff. de re jud. confirmatur, ibi si moventia non sint, ut soli quoq; capiantur.* in illisque negarunt simpliciter: In his v. contra sentiunt *Speculator in tit. de sent. prolat. §. juxta vers. sed ecce & alii.* Plures v. simpliciter negativam tuentur. Nos affirmativam de jure veriorem & in judiciis usu frequenti receptam esse existimamus, sive extrinseca sive intrinseca sit conditio *per text. in l. 1. §. biduum ff. qu. appelland. sit, ubi dicitur sententiam non esse ferendam sub conditione, si tamen fuerit lata valet nisi fuerit appellatum quem & gl. accipit de conditione extrinseca. Quæ repetita legitur in c. biduum 2. quæst. 6. ibidemq; glossa.* Deinde confirmat hanc opinionem *text. in c. cum venisset, de Institution. ubi sententia sub illa conditione, si probaverit, valet.* Et hac consuetudine totum mundum uti attestatur. *Zasi in d. l. à D. Pio §. in venditione col. fin. eleganter resolvit Cacheran.*



*charan. dec. 146. per tot. Quando autem à tali sententia appel-  
landum sit, tradit Sigisfund. Scaccia de appellat. question. 12.  
num. 11. & seqq.*

IV. Cap.

De Repe-  
titione.

*Membrum seu Caput quartum.*

**De repetitis conditionibus.**

LXVI.

Ex hactenus dictis satis constare puto quam condi-  
tiones negotiis adjici possint vel non: Caterum quia ea quæ  
semel dicta sunt plerumque tacite repetita censentur, quibus  
dispositio q. temperatur, cõsequens est, ut de repetitionis ma-  
teria q. per se est intricatissima & difficilima paucis etiã dispi-  
ciamus: in qua ut in reliquis mentem disponentis, præcipuè  
etiam contra juris regulas attendendam esse tradit *Magon.  
dec. 84. n. 6. per l. Julius Paulus 81. & l. seq. ff. de cond. & demonstr.  
Cum autem ista repetitio ex conjectura voluntatis fiat, vicif-  
sim etiam per contrariam conjecturam cessat, l. licet Impera-  
tor. ff. de leg. 1. Mantic. de conject. ult. vol. lib. 10. t. 6. nu. 22. & dispu-  
tationem inducendæ vel non inducendæ repetitionis totam  
conjecturalem esse & præsumptam, elegantissimè tradit *Jo-  
han. de Castell. p. 2. Quotid. contro. c. 4. n. 51. Quæ sæpè sunt falla-  
cissimæ Mantic. d. loc. lib. 6. tit. 13. num. 8. Ubi tamen sciendum,  
conditionem quæ tacite dispositioni inest, & à jure subintelli-  
gitur ad qualificandam aliam dispositionem sive unâ oratio-  
ne sive diversa licet in eadem re seu persona repetitam nun-  
quam censi *text. elegans in l. si in diem 46. ff. de cond. & de-  
monstr. quem singulariter notat Roman. singul. 237. & consil.  
134. Mantic. de conject. ult. vol. d. loc. nu. 27. cum ex tacito tacita  
repetitio non inducatur Ruin. 2. consil. 140. num. 14. Peregr. de  
fideicom. artic. 16. num. 43.***

LXVII.

Quia igitur natura repetitionis est, ut antecedentia  
cum omnibus qualitatibus repetat *Peregr. de Fideicom. artic. 16.  
num. 1. Existimo: Pluribus rebus alicui una oratione relictis  
vel promissis conditionem præcedenti rei adjectam in se-  
quentibus*



quentibus repetitam censerit *l. 38. §. 4. de hered. Inst. & text. expr. in l. Seja 20. §. Cajo ff. de instr. & instrum. leg. l. fin. l. fru. de vino & tritic. leg. Alphonsus de Azavedo consil. 6. nu. 1. & seq. Quod limitat. Johan. Castillo, qui præcedentia in sequentibus nunquam censerit repetita ait, si agatur de repetenda qualitate adversus dispositionem juris communis *p. 2. c. 4. n. 37.* Non autem vice versa si conditio posteriori sit adjecta etiam in præcedenti repetita videtur *l. filiamfam. 21. ff. qu. dies leg. Roman. singul. 672.* Majoris enim virtutis est clausula præcedens ad determinationem sequentium quam sequens ad determinationem præcedentium *l. quisquis ff. de leg. 3. Valla de Reb. dub. tract. 16.* Nisi conditio universalis vel collectiva post plura, una oratione copulata omnia præcedentia complectatur *text. in l. heres §. uxori ff. de leg. 3. Bartol. in Seja §. Cajo col. 1. de Instr. & Instrum. lego & l. cui filiafam. quest. ult. ff. de leg. 1.* Uti in eleganti specie confirmat *Capr. consil. 128. dub. 1. & Dec. consil. 92.* Istamque sententiam communiter receptam esse tradit *Peregr. de Fideicom. mis. artic. 16. n. 31. Dissent. Jason. & Acac. in d. l. cum filiofam. per rationem istam generalem quod sequentia non influant in præcedentia.**

#### LXVIII.

Sin v. diversis personis una eademque oratione aliquid promittatur sive relinquatur conditio uni adjecta quoad alteram personam, nec in illa nec in alia re repetita videtur *per text. in l. fin. §. Sejo ff. de leg. 2. Bartol. in l. si stipulatus §. Chrysogonus ff. de V. O. nu. 4.* Conditione enim defecta transit ad substitutum vel conjunctum *l. un. §. sin autem sub conditione C. de cad. toll. & text. in l. Julius. Paulus ibidemq. gl. ff. de cond. & demonstr. Dissent. Nicol. Vall. d. tract. 16. fol. (mibi) 342. ibi.* Hoc etiam locum habet cum diversæ res pluribus personis relictae sunt, eadem tamen orationis clausulâ.

#### LXIX.

In diversis orationibus & distinctis clausulis hoc generale est, quod conditio in unâ adjecta, in alterâ repetita non censeatur. Idque exinde quia conditio personæ primi coheret *l. legatum sub conditione ff. de adim. leg. l. un. §. ne a. C. de cond. toll.* Quamvis de una eademque persona sit concepta *l. qui*

F

*fundum*



*fundum ff. de contrab. empt. l. commodissime ff. de lib. & posthum. Valla d. tr. 16. pag. 344.* Vel orationes termino aliquo sint copulatae seu per dictionem. *Item* continuatae, quando enim copula inter diversas orationes ponitur, magis intelligitur continuativè quam copulativè *l. is qui ducenta 13. §. utrum ff. de reb. dub. l. Item apud Labeonem ff. de injur. l. fin. ad SC. Turpill. l. fin. §. Item rescripserunt, & seq. ad Municipal. l. si per tot. ff. de administ. rei ad civit. pertinent. Cravett. consil. 638, nu. 1.* Nec qualitas vel conditio uni capitulo adjecta trahitur ad aliud, ut eleganter tradit *Peregr. d. loc. nu. 11. Leand. Galgan. p. 2. q. 16. nu. 26. & 42.* Nisi oratio posterior sit imperfecta v. g. *Mævio lego centum si capitolium ascenderit.* *Item Sejo domum:* Cum enim posterior oratio sine præcedenti sit imperfecta, suppletur ex illa per verbum lego cum omnibus qualitatibus & sic cum illa conditione, adeo ne etiam domus debeat conditione deficiente. *Galgan. eleganter d. loc. n. 23. 25. & 47. Cardin. Mantic. de conject. ult. volunt. lib. 10. t. 6. nu. 34.* Quomodo sit intelligendum illud brocardicum juris, unam partem testamenti declarare aliam, *Mantic. lib. 6. tit. 13. nu. 8. explicat.*

LXX.

Et procedunt ea quæ dixi eatenus nisi testator in sequenti oratione dictionem aliquam repetitivam adjecerit: tunc enim licet utraque oratio sit perfecta istæ dictiones conditionem priori adjectam repetunt ad secundam, & pariter reflectunt conditiones & qualitates adjecta rei posteriori ad primam *l. fin. ff. de reb. dub. ibi* dictio eo amplius repetitionem operatur in utraque & *in l. Aurelius 28. §. testamento ita §. ff. de liberat. leg.* Qualitas in secundo adjectiva vi tacitæ operationis augmentum & diminutionem in primo. Ratio quia aliàs dictio illa adjecta esset inanis nullum autem verbum otiosum esse, sed aliquid operari debet. Idem confirmatur *ex l. 18. de cond. inst. l. 70. l. 77. & l. 108. de cond. & demonstr. l. fin. §. fin. de dol. mal. except. Dist. Mantic. d. loc. in fin.* Quibusnam autem verbis repetitio inducatur, vide *Galgan. p. 2. q. 18. latè hac de re differentem. Peregr. d. loc. nu. 17. usq. ad nu. 26. Mantic. de conject. ult. volunt. lib. 10. t. 6. nu. 12.* Tantamque vim esse harum repetitivarum ut quamvis utilitatem tertii alicujus non defuncti seu hæredis.



hæredis respiciat conditionis tamen ejusdem repetitio indu-  
catur. *d. l. 103. de cond. & demonstr. contra Vallam d. loc. pag.*  
*(mibi) 346.*

LXXI.

Hinc tritissimæ illæ quæstiones decidendæ sunt :  
1. Utrum conditio adposita in primo testa-  
mento censeatur repetita in secundo ? 2. Num  
in testamento expressa in codicillis repetita in-  
telligatur ? Quod absque ambagibus ullis nego utrum-  
que : Et in priori quidem notum est testamentum perfectum  
alio testamento posteriori æque tamen perfecto rumpi §. *po-*  
*steriori Inst. quib. mod. test. infirm. & l. 2. ff. de injust. nupt. l. si quis*  
*priori ff. ad SC. Trebell. l. sancimus C. de testam.* etiamsi conditio  
in posteriori deficiat *text. in l. cum in secundo 16. ff. de injust.*  
*rupt. Thadeus Piso Soar. lib. 2. var. resol. c. 3. nu. 13.* Revocato au-  
tem primo testamento omnia quæcunque in eo scripta  
sunt revocata intelliguntur, nisi expressè repetita fuerint,  
*l. si jure 18. ff. de leg. 3. l. nisi §. item si ff. si cui plus quam per Falcid.*  
adeoque cum omnibus conditionibus clausulis & Fideicom-  
missis *Mantic. de conject. ult. vol. lib. 12. t. 1. nu. 36. Galgan. p. 2. q. 14.*  
*quod limitat tribus modis num. 11.* Unde legatum in priori testa-  
mento relictum ne extra familiam alienetur in posteriori  
simpliciter datum absque onere relictum dicitur *Mantic. d. loc.*  
Nec obstat quod juxta *Paris. consil. 79. vol. 2. nu. 16.* posterius du-  
bium declarandum sit ex priori inutili, cum illud ad novam  
dispositionem introducendam, & in posteriori omissam ex-  
tendi posse minimè existimamus *Peregr. d. loc. nu. 51. Dissent.*  
*Menoch. lib. 4. presumpt. 176. n. 6. & seqq.*

LXXII.

Quoad codicillos autem & quia in his ratio ista cessat,  
major dubitatio exoritur; cum testator per illos non præsu-  
matur recessisse à dispositione in testamento facta, unde *Gal-*  
*gan. d. loc. nu. 12. Menoch. 4. presumpt. 177.* in iis regulariter con-  
ditionem repetitam censerit autumant *per l. talis scriptura 30.*  
*§. ult. & l. seq. de leg. 1. l. Cajo de alien. & liber. leg. & alios. Paris.*



vol. 2. consil. 34. nu. 19. Qui tamen si dextrè inspiciantur parum probant aut nihil. Negativam igitur veriore esse ex prædictis adparet, tum quia in diversis orationibus repetita non censetur conditio per supr. tradita, cum quia conditio facti est nec unquam subintelligitur *l. 1. b. t. ibi* aut dies incertus seu conditio ascribitur aut si nihil horum factum sit præsentia sunt. Nihil officit superius adducta ratio, quamvis n. testator non præsumatur recessisse à priori volūtate in codicillis; Non tamen sequitur eadē conditiones & onera in testamento adposita in iisdem voluisse repetere & gravare legatarium. Cum nova oratio novam arguat dispositionem. Multominus quod testamentum & codicilli censeantur una & eadem dispositio *l. 2. §. codicillorum ff. de jur. codicill.* quā moti in codicillis repetitionem statuerunt *Cravet. cons. 321. nu. 2. Menoch. consil. 331. nu. 6. & consil. 452. n. 11. Natta consil. 483. in fin.* Hæc enim ut maximè concedam non tamen exinde infertur repetitio conditionis, utpote quæ in altera oratione nec in eodem testamento repetita dicitur *l. cum scimus 82. ff. de condit. & demonstr.* Imò quamvis eadem res in testamento sub conditione legata eidem personæ in codicillis relinquatur, conditionem tamen in testamento adjectam hic repetitam regulariter non censi existimo *per supr. trad. & l. avia & d. l. cum servus ff. de cond. & demonstr.* sed ultima scriptura servatur *l. non ad ea 89. de cond. & demonstr.* *Clarus in §. testamentum q. 76. Dissent. Peregr. de loc. nu. 49. sed absque ratione.* Pleniorē autem ut habeamus Repetitionis materiæ intelligentiam speciales quasdam formabimus quæstiones.

### LXXIII.

Et primo quidem cum quæritur: Num conditio institutioni adjecta in substitutione repetita censeatur? Communiter distinguunt inter hæreditates & legata existimantes in his repetitas esse conditiones; in illis v. non singulari testamentorum favore *per text. in l. sub conditione & ibi gl. ff. de hered. Inst. & alios quos refert & sequitur Mantica. de conject. ult. vol. lib. 10. t. 6. n. 6.* Alii v. propiùs ad scopum collimantes separant conditiones mixtas & casuales à potesta-



potestativis, illasque juxta tradita nunquam repetitas dici-  
iustas verò tantum in legatis *Valla de Reb. dub. tract. 16. pag.*  
*(mibi) 335.* Quod nonnulli simpliciter negant existimantes,  
cum substitutus habeat suam propriam conditionem, eum  
adjecta aliâ onerari non convenire *Donell. 3. comm. 8. lit. g. ibid.*  
*Hillig.* Quæ tamen omnia quia pariter hæreditatibus ac lega-  
tis militat mihi nullo modo probantur. Existimo igitur  
conditionem casualem & mixtam tam in hæreditatibus *d. l.*  
*sub conditione,* quam legatis *l. un. §. sin. a. & ibid. Dd. C. de cad. toll.*  
substitutum nunquam afficere *l. 113. §. 1. de leg. 1.* Unde conditio  
si sine liberis instituto adjecta in substituto repetita non dici-  
tur *Gozadin. consil. ult. nu. 4. & seqq. Anton. Gomez. tomo 1. var. re-*  
*sol. 12. num. 37. & 80. Alphonsus de Azeved. consil. 5. n. 27.* Potestati-  
viam autem quæ instar modi est *Valla d. loc. pag. (mibi) 336.* in-  
distinctè transire ad substitutum. Et quidem in legatis pro  
confesso habendum *per d. l. un. §. pro secundo. C. de cad. toll. nec*  
*ferendus is qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei an-*  
*nexum contemnit l. 10. ff. de R. J. & c. 55. extr. de R. J. in 6.* Idem  
in hæreditatibus juris esse constat *ex l. licet Imperator 74. de leg.*  
*1. 61. §. Julian. 1. & l. cum pater 77. §. ab Institut. ff. de leg. 2. l. non*  
*justam C. ad SC. Trebell.* Cum onus videatur potius sustineri &  
adponi in hæreditate tanquam jure universalis quam in per-  
sona adeoque ad hæredes transeat. Sive in dando sive in fa-  
ciendo consistat, modo per substitutum factum illud æque  
explicari possit *d. l. un. §. sin. autem.* Quod pluribus modis limi-  
tat *Peregr. d. loc. n. 59. usq. ad nu. 68. qui videatur.*

LXXIV.

Circa jus accrescendi quod conjunctionem plurium  
hæredum necessariò præsupponit duæ etiam subtilissime con-  
certationes moventur. 1. Num conditio uni adje-  
cta inducat repetitionem in conjuncto? 2. U-  
trum portio unius, cui conditio adscripta est,  
vacans alteri accrescat unâ cum illa cōditione?

Prius simpliciter inficias eundem *per text. in l. fin. l. Sejo. de leg. 2.*  
Ubi conditio in personam Seij non repetitur in personam

F 3

Marcellæ



Marcellæ sibi conjunctæ & l. un. §. ne autem C. de cad. toll. & rationes th. allegatas. In altera verò distinguimus inter re conjunctos, & inter verbis vel re & verbis simul: Re conjuncti quia solidum habent ab initio altero non concurrente non alienum consequuntur, sed suum imminutum retinent d. l. un. §. sin autem. In reliquis v. quia occupans partem vacantem ex persona deficientis capit & ejus locum occupat, eodem jure cum illo censetur arg. l. qui in jus de R. J. §. ult. Inst. de locat. & conduct. Quibus autem conjunctim legatur illi ab initio partes habent l. 34. §. si conjunctim de leg. 1.

LXXV.

Hinc subtilissima & ex ipsis juris fontibus depromitur quæstio: Utrum conditio in pro non scriptis transeat ad substitutum & conjunctum nec ne? Utrumque affirmant in hæreditate per d. l. un. §. his ita in fin. ibi hæc tantummodò in hæredibus intelligenda. Ergo secus in legatis. Rationem assignant istam quia hæreditas representat personam defuncti & vicem personæ sustinet in qua conditio sustinetur l. novatio de Novat. l. omnis hæreditas l. omnia ter de R. J. l. hæres & hæreditas ff. de usucap. Bartol. in l. quæ conditio ff. de cond. & demonstr. secus in legatis Gerhard. de testam. disp. 7. th. 50. & seq. per l. un. §. in primo & §. ne a. C. de cad. toll. In quo ipsi assentior. Cur autem diversum in hæreditatibus statuatur, nullum video differentie rationem, idem igitur in illis quod in legatis ut statuamus nihil prohibet per text. expressum in l. quidam referunt §. fin. & l. seq. ff. de jure codicill. Cum absurdum sit principali non subsistente ejus qualitates seu conditiones vires habere l. cum principalis de R. J. Nec est quod urgeant d. l. un. §. his ita in fin. cum ibi Imperator de caducis hæreditatibus loquatur, uti apparet ex vocabulo *evacuatum*, quod propriè caducis convenit, in quibus conditiones transire æque ac in legatis nemo hactenus negarit d. §. in his C. de cad. toll.

LXXVI.

Quando de legatis sermo incidit, rectè negant Dd. Condi-



Conditionem uni adjectam intelligi repetitam in alio de re diversa, quam vis eidem personæ, & in eodem testamento fuerit relictum, per d.l. *Seja* §. *Cajo de leg. 2.* & *l. que fundum ff. de contrab. empt.* multò minus si eadem res ab initio sub conditione legata denique pure relinquatur *l. Non ad ea 89. ff. de cond. & demonstr.* cum potius præsumatur testator se voluisse corrigere *Menoch. 4. præsumpt. 180. n. 8.* Quod autem conditio institutioni adjecta in legato eidem relicto repetita sit ut putat *Mantic. de conject. ult. vol. lib. 10. t. 6. nu.* *Peregr. de Fideicom. artic. 16. nu. 3.* *Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 179.* & alii nullo juris textu probari potest. Ex supra traditis igitur & quia orationes diversas habent conditionem istam institutioni adjectam in legato eidem relicto repetitam non dici verius est, nec quicquam nobis negotii faceant *l. cum servus §. 1. de cond. Instit. l. duos 70. l. Avia. 77. ff. de cond. & demonstr. aut l. fin. §. fin. ff. de except. debi.* Cum intelligendi eo in casu ubi dictio repetitiva fuerit in legato adjecta uti ex collatione apparet, latè *Menoch. lib. 4. præsumpt. 180.*

### LXXVII.

De Translatione legati tamen illud certum est, quod conditio primo adjecta simul transferatur per text. expr. in *l. Cajus 13. ff. de alimen. & cibarij leg. legatum 95. de cond. & demonstr.* cum surrogatum recipiat qualitatem ejus in cujus locum surrogatur *l. si eum §. qui injuriarum l. 113. §. 4. de leg. 1. ff. si quis caut. l. cui fundus ff. de cond. & demonstr. l. ideo §. sed si ignoremus C. de Rei uxor. act.* Nisi priori personæ conditio cohæreat aut à secundo æque explicari non possit *l. legatum sub conditione 24. ff. de adim. leg. d. l. legatum 95. & l. un. §. ne autem C. de cad. tollend. v. et alia conditio posteriori adjiciatur text. in l. Alumna 30. ff. de adim. leg. Cacher. dec. 12. n. 3.* Tunc n. ne duplici onere afficiatur legatarius prima conditio ex conjectura voluntatis remissa videtur. *Mantic. de conject. ult. volunt. d. loc. nu. 10. & 18. Peregr. de Fideicom. artic. 16. nu. 91. Donell. 8. comm. 31. Menoch. lib. 4. præsumpt. 174. per tot. & præsumpt. 177. n. 5. & seqq.*

In con-



In contractibus hoc extra dubium est, quod conditio sub qua conventio celebratur, in omnibus illius contractus partibus repetita intelligatur, si modo inter easdem personas, & de eadem re fiat *gl. in l. in repetendis de leg. 3. Raphael. Cuman. in l. Titia §. 1. ff. de V. O. Zas. lib. 2. consil. 13. n. 12. & seq. Sin v. alium actum interponant, conditio prius adjecta in diversa oratione non repetitur, cum repetitio locum non habeat, quando qualitas in diversa oratione adicitur, l. qui fundum ff. de contrab. empt. Cravet. consil. 638. n. 1. & consil. 674. nu. 34. Nisi dispositio in alia oratione posita prioris sit accessoria, tunc enim si cum principali dispositione ad unum eundemque tendat effectum eodem jure censetur l. sicut proponitur ff. de Fidejuss. l. fin. §. pen. ff. de V. O. Cardin. Mantic. vatican. lucubrat. lib. 3. t. 5. num. 1.*

Ea quæ in præfationibus concipiuntur etiam in stipulationibus repetita creduntur, inquit Paulus in l. Titia 134. §. 1. ff. de V. O. Hinc conditiones quæ in tractatu adjiciuntur contractui subsequuto inesse *Dd. in d. §. 1. communiter tradunt*, quod si simpliciter & de modo tractatu accipiatur est falsissimum: id enim tantum videtur actum quod scriptum vel in conventionem deductum est *c. dudum in fin. de convers. conjugat.* Duo igitur concurrere necesse est: primum, ne in nuda tractatu contrahentes permaneant, sed præfationem in obligationem efficacem deducant *per text. expr. in l. 4. §. fin. ff. de pact. cum multa inter partes tractantur quæ non concluduntur arg. l. si voluntate C. de resc. vend.* Deinde ut contractus in continenti subsequatur præfationem *arg. l. lecta ff. de Reb. Cred. §. 1. 7. §. quinimo ff. de pact.* Cæterum si ex intervallo; contrahentes censentur recessisse à priori tractatu, nisi fuerint replicata *text. elegans in l. cum plures 60. §. locator 6. ff. de locati* ibi actus posterior efficit ut à priori recessisse videatur, nec opus est ut negationem inseramus cum Gothofredo ibid. in notis *arg. l. per retentionem 4. C. de usur. Jason. in l. si quis cum aliter n. 3. ff. de V. O. Mantic lib. 13. vatican. lucubrat. tit. 4. nu. 3.* Unde si ab initio inter partes actum ut fundus cum pacto retrovendendi veneat, postea autem circa pretium conveniunt



veniant quamvis pactū illud in instrumento fuerit omiſſum,  
nihilominus tamen contractui ineſt *Mantic. d. loc. nu. 11.* Econ-  
tra v. conditio in contractu adjecta tempore traditionis pu-  
rè factæ repetita non cenſetur *Jason. in l. si pœna §. cum inter ff.*  
*de cond. indeb. nu. 2. & seq. nisi error arguatur l. sub conditione 16.*  
*ff. de cond. ind.*

LXXX.

Sed elegans hîc diſceptatio movetur: An conditio  
viduitatis à marito in prima donatione adjecta  
in ſecunda repetita videatur? Quod affirmat *Man-*  
*tic. lib. 3. Vatican. lucubrat. t. 3. n. 19.* nobis diſplicet; dicta enim  
in uno contractu in alio æque principali non repetuntur *l. per*  
*retentionem C. de uſur.* Quamvis conventio ſuâ habeat propriâ  
naturam & qualitatem: Imò quamvis poſtერიorem in locum  
prioris conſtituerit *arg. l. si creditor 15. & l. novatione 18. ff. de*  
*Novat.* Nam in obſcuris interpretatio contra eum fit qui le-  
gem potuiſſet dicere apertius.

*Membrum ſeu Caput quintum.*

De implemento conditionum, & quando pro  
impletis habentur, ubi ſimul de mora purganda  
& cautione Mutiana.

Cap. V.  
De imple-  
da condi-  
tione.

LXXXI.

Satis ſuperque dictum hætenus de conditionis formâ  
& eſſentia. Quia a. verosimilis mens ac voluntas diſponentis q̄  
in conditionibus ſola attenditur *l. 19. b. r.* hæc eſt, ne diſpoſitio  
conditionalis ullum ſortiatum effectum niſi impleta ſit condi-  
tio *l. quibus diebus 40. §. ſin. ibid. Bartol. n. 6. de cond. & demonſtr.*  
*l. Thais 41. §. 14 ff. de fideicom. libert. l. facta 63. §. si sub conditione*  
*ff. ad SC. Trebell. l. hoc jure 10. ff. de V. O. & conditione non veri-*  
*ficata ceſſat diſpoſitio bonus text. in l. si quis pro redẽptione C. de*  
*donat.* Sed jus regulariter ita cõparatum, ut expletam condi-  
tionem eſſe oporteat priuſquam peti poſſit, id quod non niſi  
ſub conditione relictum eſt *l. si quis sub conditione ff. si quis*  
*omiff.*

G



*omiff: causa test. l. cedere diem ff. de V. S. Simon de Prætis lib. 5. de Interpr. ult. volunt. d. 2. n. 109. l. qui heredi 44. §. fin. de cond. & demonstr. Anton. Faber, 20. coniect. 31. Paria sunt nihil fieri, vel fieri sub conditione, quæ non purificatur Cephæ. consil. 17. nu. 6. Et relictum sub conditione sub contraria cōditione ademptum censetur l. si legatum 10. ff. de adimend. leg. Ludovic. de Casanat. consil. 2. n. 28. & seqq. imo pro non facta & non scripta habetur dispositio l. un. §. fin. a. C. de cad. toll. Eâ a. impletâ perinde habetur legatum, ac si purè esset relictum vel contractus absque conditione celebratus l. potior. 11. §. 1. ff. qui potior in pignor. l. ei qui 13. ff. de cond. Instit. l. ult. §. 1. ff. de vulg. & pupill. subst. text. clarus & elegans in l. si pupillus 26. ff. de cond. inst. uti infra de effectibus pluribus ostendemus. Confectarium nunc est, ut de earum implemento etiam differamus.*

LXXXII.

Cæterum quia conditionis implementum in factō consistit; Is qui se fundat in ejus implemēto illud probare necesse habet: cū factum non præsumatur nisi probetur l. si asseveratio C. de non numer. pec. l. ex his C. quando dies leg. l. in fideicommissis §. cum Pollidius ff. de usur. cum vulgar. Quanquam in non faciendo consistant Simon de Prætis lib. 5. de Interpr. ult. vol. dub. 2. n. 111. & seq. Nisi à lege præsumatur conditio extitisse uti in l. ex factō 17. §. 7. ff. ad SC. Trebell. Tunc enim præsumptio juris relevat ab onere probandi & illud in adversarium rejicit l. generaliter §. si petitum ff. de Fideicom. libert. & l. si emancipati C. de coll. l. sciendum de V. O. Mantie. de coniect. ult. vol. lib. 11. tit. 16. n. 5.

LXXXIII.

Impletura a. conditio omnis vel verè vel fictè. Verè si eventus seu casus in quem res dilata fuit extiterit, cujuscunque etiam generis conditio sit Donell. 8. comm. 33. Quia tamen non sunt unius ejusdemque generis & naturæ conditiones, ideò nec uno eodemq; modo implentur, sed aliud in potestativa, aliud in casuali, aliud denique in mixta implementi ratione observatur, de quibus singulis dispiciamus.

LXXXIV.

Et primum quidem generaliter sciendum omnem conditionem restrictam ad certū tempus intra illud implendam esse



esse, adeo ut eo elapso amplius impleri ò possit, sed p̄ defectâ  
habeatur *text. in l. Thais 41. §. inter certa 12. ff. de Fideicom. libert.*  
*l. qui hæredi 44. §. fin. & l. seq. 91. in fin. ff. de cond. & demonstr. l. sta-*  
*tuliberum 11. §. 1. ff. de leg. 2. Mantic. Vatican. lucubr. lib. 4. t. 31. n. 50.*  
*Peregr. de Fideicom. ff. tit. 15. n. 8. Vasq. lib. 3. quest. illustr. c. 93. nu. 8.*  
*Bald. in l. si plures nu. 33. ff. de cond. Instit. In conditionibus siqui-*  
*dem nulla alia nisi voluntatis ratio reddenda est l. 19. ff. de*  
*cond. & demonstr. Galgan. p. 2. q. 65. de cond. Afflict. dec. 73. n. 3. & 4.*  
Et quod ad certum tempus permittitur post illud prohibitum  
censetur *l. 45. in fin. de damno infect. l. certus 23. de recept. arbitr.*  
adeo ne etiam sufficiat pro parte esse impletam licet extra ter-  
minum in totum implere velit *Simon de Prædis lib. 1. dub. 2. num.*  
*127. cū nihil actum dicatur quādo ad agendum aliquid super-*  
*est, arg. l. fin. C. ad Syllan. vel ædificia §. 1. de V. S.*

LXXXV.

Quod si v. tempus à testatore nullum fuerit præstitutum,  
conditionem potestativam institutioni adjectam quovis  
tempore etiam in articulo mortis impleri posse, per manus  
q. traditum est *l. suus §. fin. & l. seq. l. si quis 23. ff. de hæred. inst. l.*  
*fin. ff. de cond. inst. gl. singularis in d. l. si quis ita ff. de hæred. inst. Idq;*  
propter incommoda ex implemento illo hæredi resultantia  
*Donell. 8. comm. 33. Galgan. p. 1. c. 6. n. 57. conditionis siquidem*  
implementum consistit vel in faciendo vel dando: illud re-  
vocari non potest, hoc quidem repeti posset, sed maximo sæpè  
cum detrimento, melius n. habetur non dare quam datum  
repetere *Hillig. ad Donell. d. loc. lit. O. Hoc tamen singulariter*  
notandum non raro à magistratu tempus certum præstitui  
posse, intra quod institutus conditioni parere necesse habet  
*tex. in l. si quis 23. §. 1. ff. de hæred. inst. pro ratione circumstantia-*  
rum si ipse potius gravatus quam honoratus fuerit *l. 1. ff. si quis*  
*omiss. causa test. l. si servus ff. de bon. autorit. jud. poss. l. 1. ff. de curat.*  
*bon. dant. Acac. Anton. l. 2. n. 22. & seq.*

LXXXVI.

Secus in legatis & alius dispositionibus, in quibus ex  
conjecturatâ disponētis voluntate, qui citissimè fieri voluisse  
censetur *l. 5. ff. de testam. qm. aperiantur*, honoratus statim im-  
plere tenetur, & quidem intra tempus quo verosimiliter fieri  
potuisset



potuit *l. hac conditio 29. ibi si cum primùm potuerit ff. de cond. & demonstr. l. si ita stipulatus essem l. ita stipulatus & l. continuus §. cum ita de V. O. Mantic. lib. 14. vatic. lucubr. tit. 42. n. 12.* Sin v. tantum temporis spatium præterierit, quo quis potuit facere nec fecit, defecisse intelligitur conditio *text. in l. 12 ff. de cond. & demonstr. l. stipulationes 72. §. fin. d. l. seq. de V. O. Caphal. consil. 118. n. 16. Ruin. consil. 131. n. 11. lib. 1. Azo in summa C. de cond. insert. Emanuel. Acoſta select. Interpr. lib. 1. c. 24. n. 9. & seq. Galgan. p. 1. c. 6. nu. 57.* Ita tamen ut post mortem testatoris implementum subsequatur *l. conditionum 2. ibi quadam que non nisi post mortem testatoris & l. si jam 11. §. 1. ff. de cond. & demonstr.* Nam quicquid decernitur à testatore testamento id executionem tantum habet post mortem ipsius *argum. l. 1. de testam. Duar. de cond. & demonstr. c. 6.* Et quia conditiones potestativæ pendent ex potestate honorati testator eas adponendo o modo vult conditionem impleri, sed ut honoratus ejus voluntati etiam pareat, uti apparet ex *d. l. si jam: ibi si in hoc fiat, ut testamento pareatur, & in fin. nam si fato fecerit non videtur obtemperasse voluntati.* Quod totum ex præsumpta mente testantis pendet; imo quamvis conditio sit irreiterabilis non tamen sufficit implementum vivo testatore fuisse subsecutum *Acac. Anton. d. l. 2. nu. 87.* Quicquid etiam de conditione manumittendi contradicat *Anton. Gomez. 1. var. resol. c. fin. n. 68. Molin. de Just. & Jur. 2. disput. 206.* Solâ distinctione inter scientiam & ignorantiam testatoris facienda *d. l. si jam 11. ff. de cond. & dem.*

LXXXVII.

De purgatione moræ.

Hinc difficilima & in praxi frequentissima concertatio: Num moræ purgatio in conditionibus implendis licita sit nec ne? Et quidem nullam moram esse ubi nulla petitio Scævola respondit *in l. nulla 88. ff. de R. J. & in l. si pupillus 127. ff. de V. O.* Ejus a. rei quæ sub conditione debetur nullam esse petitionē constat ex *l. si quis sub conditione ff. si quis omiff. causa test.* Unde nonnulli moræ purgationem in conditionibus prorsus cessare statuerunt, existimantes in iisdem dilationem durtaxat contrahi *Emanuel. Acoſta select. Interpr. lib. 2. c. 24. Acac. Anton. ad d. l. 2. nu. 46. & alii.* Attamen hisce non attentis moram in conditionibus verè contrahi patet.



patet ex d. l. hac conditio 29. §. 1. ff. de cond. & dem. ibi si non post moram Titii, & aliis quam plurimis. Unde operæ pretium, erit inquirere de ejus purgatione: pro cuius intellectu itidem distinguendum existimamus; Utrum conditio diem habeat, vel non. Quod si eidem dies sit adjectus, moræ purgationem cessare non est ambigendum: Quia conditio in forma specifica debet adimpleri l. qui heredi §. l. Mevius ff. de cond. & dem. quod non fit si diem, qui pars & forma conditionis est, præterlabi passus sit. Quod n. ad tempus conceditur post illud non permittitur l. 45. ff. de damn. infect. §. l. Celsus 23. in pr. de recept. arbitr. 2. Textus expr. in l. Thais 41. §. intra ff. de Fideicom. libert. ubi conditioni parere nequit servus tempore elapso, si post illud paratus sit rationes reddere §. l. si intra ff. de statulib. frustra n. dies ascriberetur si post illud purgatio moræ sit permilla Anton. Fab. conject. lib. 6. e. 7. Andr. Kohl. exerc. 15. n. 109. D. Arumæus p. t. Rector Magnif. de mora c. ult. n. 8. qui hoc omnes nullo reclamante admittere tradit.

#### LXXXVIII.

Sin minus, æquius existimamus, in conditionibus ut in reliquis obligationibus dandi & faciendi moræ purgationem admitti usque ad litis contestationem per text. expr. in l. quid tamen 21. §. fin. ff. de recept. arbitr. ubi stipulatio committitur si conditioni non pareatur, & si dederit ante iudiciū acceptum agi ex stipulatu non posse. Deinde moræ purgatio ex æquo & bono permittitur l. si servum §. sequitur de V. O. Quæ in conditionibus magis attendenda, quam in obligationibus, utpote cū is magis peccare videatur qui promissis non stat, quam qui conditionem non adimplet & tamen indubitanter verum in obligationibus moram purgari usq; ad litem contestatam per juris vulgaria. Kohl. exerc. 14. l. si insulam §. l. continuus §. itē qui ff. de V. O. Tandem facit pro hac opinione quod tempus tacitæ interpellationis non sit de forma conditionis sicut dies adjectus, sed ex dispositione legis intrinsecus accedat, quæ a. extra testamentum incurrunt ex æquo & bono interpretationem capiunt l. in his 16. ff. de cond. & dem. eleganter Andr. Kohl. d. exerc. 15. num. 108.

#### LXXXIX.

Illud ipsum num. in contractibus quoq; obtineat inter

G 3. fite



sese non conveniunt Dd. Negativam tuetur *Cephal. consil. 118. n. 16.* & videtur posse probari ex *l. si ita stipulatus 14.* ibi non ante agi posse ex ea causa quam tempus præterisset, quo insula ædificari posset *l. ita stipulatus 115. §. 2.* ibi post quam homo potuit dari *ff. de V. O.* Alii v. distinguunt inter stipulationes conditionales incipientes à dispositione vel non; priori casu puta manumittes servum, & si non manumiseris dabis centum, purgari moram posse *per text. expr. in d. l. ita stipulatus §. 2.* Et ita accipiunt *l. 1. ff. de penu legato l. 1. §. Item si ff. ad l. Falcid. §. l. cū sine 19. ff. qu. dies leg.* secus si dispositio à conditione incipiat *Alexand. in l. si insulam n. 24. de V. O.* Verùm cum quæ de legatis dictasunt eadem etiam transferenda sint ad eum, qui vel Stichum vel hominem dari promiserit *text. in l. quæ de legato 46. ff. de leg. 1.* ab iisdem meritò recedimus; existimantes, conditionem quandoq; impleri posse in contractibus quia tēpus quod tacitè inest conditionibus intelligitur ad ejus executionem, non extinctionem inesse *Bald. in l. si plures n. 33. C. de cond. insert.* Nec dici potest quis non fecisse quod debet, quam diu facere potest, donec immutabiliter verū ipsum non fecisse *l. quicquid astringenda 99. §. fin. de V. O. l. fin. C. de contrab. empt. & sic morator cōditionem implere dicitur in forma specifica, quocunq; tempore dederit vel fecerit cum verum sit datum vel factum, fuisse quicquid secundum conditionem dari vel fieri oportuit *Kobl. d. exerc. n. 108. Cardi. Mantic. lib. 14. vatican. lucubr. tit. 45. n. 12. & seqq. eleganter qui in legatis dissentit.**

XC.

Nec hisce assertionibus remoram injicit quod obijciūt Dd. ex *d. l. ita stipulatus 115. §. fin.* distinguendo inter obligationem conditionalem, quæ habet dispositionem præcedentem vel non; cum distinctio ibid. à Papiniano fuerit posita quo ad stipulationem committendam: non v. moram purgandam. Multò minus quod *post Bart. in d. l. si insulam nu. 24.* Moræ scil. purgationem ad exceptionem consequendam, non v. actionem acquirendam admitti *Joan. de Immol. ibid. n. 8. Acosta n. 8. Jason. n. 39. Zas. n. 5. & ita in ore habeant omnes,* illud n. quàm falsum sit ostendit *Kobl. d. loc. num. 48. & seq.* Et moram purgari posse, non modo ad actionem conservandam *l. Mancipiorum 6. ff. de oper. leg. l. 1. §. si frater 10. ff. de collat. bon.* Verum etiam eandem



eandem acquirendam & jus noviter deducendum haud ob-  
scure evincitur ex *l. Celsus 23. §. fin. & l. seq. de recept. arbitr.* ubi  
creditori moram committenti actio ad poenam persequen-  
dam acquiritur. *Idem probatur per l. Stichus 40. §. Titius ff. de sta-  
tuliber.* ubi elapsis quatuor mensibus ratione redditâ liberta-  
tem ex testamento consequuntur & *l. servus qui 14. §. fin. & l.  
Stichum 39. §. 3. ff. eod. tit.*

### XCI.

Casuales a. & mixtas, quia ex potestate honorati non  
pendent quandoq; etiam vivo testatore, & ante contractum  
iis sæpè ignorantibus impleri posse notum est ex *d. l. 2. in pr. &  
l. si jam 1. §. fin. ff. de cond. & demonstr.* Quæ n. ex potestate ho-  
norati non dependent, dici non possunt testator sensisse ut ab  
eo implerentur, sed præsumitur effectum & implementum  
hujusmodi conditionum tantum spectasse *l. 10. ff. eod.* ubi in  
conditione si nupserit non tam respexisse dicitur, testator qu-  
existat, quam ut impleatur & in *d. l. si jam facta* ibi si sciat testa-  
tor quæ iterum fieri possunt expectentur ut fiant *Acac. Anton.  
ad l. 2. n. 41. & n. 70. Covarr. pract. quest. c. 39. n. 6. text. elegans in d.  
Fideicom. 11. §. si cui de leg. 3. l. mulier. 22. ff. ad SC. Trebell. l. si mater  
3. C. de Inst. & subst. Mantic. de conject. ult. vol. lib. 11. t. 16. n. 4.*

### XCII.

Quod in potestativis secus est, ubi non sufficit fato im-  
pleri conditionem sed scire debet gravatus conditionem esse  
insertam & iudicio voluntati obtemperare *text. expr. in d. l. 2. in  
fin. ibi eam fato fecerit, non videtur obtemperasse voluntati ad l. si  
jam facta §. 1. ibi si in hoc fiant ut testamento pareatur.* Siquidem  
in earum adpositione testator duo respexisse videatur effectum  
sc. & modum. Unde non sufficit alterutrum extitisse sc. condi-  
tionem, sed requiritur insuper ut etiam pareatur testatori *Do-  
nell. 8. comm. 33. lit. N.* In dubio tamen præsumitur quis animo  
implendi conditionem fecisse, si modo sciverit conditionem  
sibi esse adscriptam *Mantic. de ambig. convent. lib. 14. t. 42. nu. 18.  
Acac. Anton. ad d. l. 2. nu. fin.*

### XCIII.

Hinc elegans juris quæstio resultat: Utrum condi-  
tio alicui adjecta per aliū possit impleri nec ne?

In quâ



In quâ nisi personæ industria electa videatur ut in *l. inter artifices 39. ff. de sol. l. 11. §. fin. de leg. 3. l. un. §. ne a. C. de cond. toll. affirmativa rationi juris congruit text. in d. l. un. §. ne a. C. de cad. toll. & text. in d. l. fideicommissa 11. §. fin. de leg. 3. ubi opus facere iustus si paratus sit dare pecuniam reipubl. ut ipsa faciat, non liberatur qn. per ipsum id fieri voluerit testator. Ergo si non voluerit testator, potest factum etiâ ab alio impleri. Cum n. idem effectus inde subsequatur nihil interest sive per eum, de quo testator locutus est, sive per alium adimpleatur conditio d. §. ne a. *Mantic. lib. 14. Vatican. lucubr. tit. 42. n. 20. Quamvis in conditione dandi illud indistinctè obtineat l. Arthusa. 15. ff. de stat. hom. l. 39. §. fin. ff. de stat. liber. Mantic. de conject. ult. volunt. lib. 11. tit. 17. num. 10.**

XCIV.

Si quis duobus hæredibus decem dare iustus fuerit conditio, uno omittente hæreditatem, in alterius persona quæ adierit in solidum implenda est, inquit *Julian. in l. qui duob. 23. ff. de cond. & demonstr. idq; propter jus accrescendi, quod ex conjunctione testatoris resultat: An a. conditio in alterius quam in cuius persona fuerit formata, impleri possit?* ambiguet opinionis est. Regulariter negant per text. expr. in *l. qui heredi 44. ff. de cond. & demonstr. ubi servo instituto alieno conditio dandi in ipsius persona non alterius debet explicari & text. in l. Mevius 55. eod. Ubi conditio est adimplenda in eo quem testator nominavit licet ex testamento capere non possit, pariter in l. pen. §. 1. ff. eod. tit. ubi duobus dare iustus uno mortuo alteri integrum solvere non potest ut legatum consequatur, licet namq; ad exitum juris nihil videatur interesse, non tamen quò res abeat, sed quid voluerit testator spectandum *Donell. 8. comm. 33. lit. L. Cujus quæstionis insignis est usus in eo si forsan aliquis in testamento iustus fuerit solvere hæredi, num. testamento annullato hæredi ex testamento, an v. ab intestato debeatur; itè restitutâ hæreditate utrum fideicommissario, an v. hæredi; & aliis pluribus, de quib. eruditè differit Mantic. lib. 11. de conject. ult. volunt. tit. 17. num. 11. & multis seqq. quo me remitto.**

Volun-



XCV.

Voluntatis quæstio & hæc est; si eadem conditio pluribus fuerit ascripta: **Utrum unius implementum profit alteri nec ne?** Quod si de mēte adponentis non cōstet, negat *text. in l. si plures 6. C. de cōd. insert. & l. si ita 13. in pr. ibi faciendo, sibi conditionem implevit, alteri non §. 1. in fin. ff. de manumiss. testam.* tales conditiones si monumentum fecerint pluribus propositas, nisi in omnibus personis simul non posse existere *inquit Pompon. in l. pen. de cond. & demonstr.* Ita tamen ut alter, si conditio sit talis, quæ de novo adimpleri possit, suo implemento postea per concursum partem faciat *Bald. in d. l. si plures num. 21.*

XCVI.

Ex quibus vicissim succedit alterius quæstionis decisio: **Num adimplens ex suâ parte conditionem integrum consequatur legatum, an v. tantum partem?** Et solidum habere siue fuerint conjuncti siue disjuncti *text. est expr. in l. si quis 54. §. fin. ubi pars ejus alteri cum sua cōditione accrescit l. si separatim eod. tit. & l. un. §. his itaq. ff. de cad. tollend. Mantic. de ambig. convent. lib. 14. tit. 43. nu. fin.*

XCVII.

Unde & illa concertatio digna admodum & maxima propullulat: **Num deficiens conditione ad legatum admittatur si dimidiam partem sumptuum refundere paratus sit?** Quod affirmarunt quam plurimi. Ne celeritas unius alteri noceat *gl. in l. ult. in pr. C. de bon. autor. jud. l. 4. in pr. ff. fin. regund. ubi condemnatio ejus facienda qui non conduxit in partem mercedis & arg. l. 39. ff. fam. ercisc. Mantic. lib. 14. Vatican. lucubr. tit. 42. nu. 21.* A quibus nos divorcium facimus, cum in potestativis testator non respexisse videatur implementum, sed modum, & ut suæ voluntati pareatur quæ procul dubio hæc fuit ut ab omnibus fiat *l. si jam 11. ibi si in hoc fiant ut testatori pareatur ff. de cond. & demonstr. per ea quæ diximus supr. th. 91.* Idq; eo minus dubium habet, si tempus conditioni parendæ fuerit præstitutū, tunc n.

H

si in-



si infra illud se non obtulerit sed re demum perfectâ, mora  
commissa cœletur *l. Thais 41. §. inter cetera ff. de Fideicom. libert.*  
XCVIII.

Procedunt a. hactenus dicta ratione temporis in condi-  
tionibus, quæ in dando vel faciendo consistunt: Tunc n. te-  
stator nisi expleta sit conditio neque heredem ad heredita-  
tem vocasse, neq; per hunc alteri restitui hereditatem seu le-  
gatum voluisse videtur *text. in l. facta 63. §. si sub conditione 7. ff.*  
*ad SC. Trebell.* Quod in negativis quæ sc. in non faciendo con-  
sistunt longe aliter dispositum est, in iis n. si tempus conditio-  
ni præfixum sit nihil debetur nisi elapso tempore *l. 4. §. 1. ff. de*  
*cond. & demonstr. l. veluti 27. §. 1. & l. quicquid 99. §. 1. ff. de V. O.*  
*l. si eum §. 1. ff. si quis caut.* Adeo ne etiam cautione interposita,  
aliquid ante tempus acquirere possit *Acac. Anton. d. l. 2. nu. 60.*  
sive negativa implicite sive explicitè contineatur *Simon de*  
*Præf. de Interpr. ult. volunt. Interpr. 2. dub. 1. nu. 24. Ruin. lib. 2.*  
*consil. 34. num. 3. & seq.*

XCIX.

Hic lubet enodare subtilissimam & utilissimam illam  
disceptationem: **Utrum existente conditione ante  
diem statim agi possit, an v. adhuc dies sit ex-  
pectandus nec ne?** In quâ dissensionis maculam à Tri-  
boniano nobis relictam esse conqueritur *Fr. Hottom. 2. amicab.*  
*22.* Affirmativam tuentur Dd. communiter per *l. si eum 10. §. 1. ff.*  
*si quis caut. l. si his legatum 4. §. 1. & l. si ita 103. de cond. & demonstr.*  
*l. in illa stipulatione 8. l. veluti 27. §. 1. l. qui hoc anno 42. & l. quic-*  
*quid astringenda 99. §. fin. ff. de V. O. Donell. 15. comm. 8. lit. b. Man-*  
*tic. lib. 14. Vatican. lucubr. tit. 42. n. 23. Fr. Balduin. de condition. c.*  
*23. in fin.* Quia a. textus adducti loquuntur in terminis ubi dies  
obligationi, non v. conditioni est adjectus, verius est condi-  
tione existente, & cum exploratum sit affirmativam impleri  
nō posse statim & absq; temporis exceptione actionem com-  
petere, & sic accipiendam existimo *l. hoc jure 10. ff. de V. O.* Vo-  
luntas n. testatoris quæ inspicienda, fuit, ut tantum conditio  
impleretur, non v. ut in tempus differretur, quæ quia exitit  
paritum est voluntati ejus *text. expr. in l. si quis heres ita 72. ff. de*  
*adquir. hered.* Deinde fortius probatur *ex d. l. 4. §. 1. ff. de cond. &*  
*demonstr.*



*demonstr.* ubi vocabulum tum adjectum operatur ut ante bi-  
ennium agi non possit, siquidem extremum tempus denotat.  
Aliter & quidem subtiliter litem istam derimere conatur *Con-*  
*sult. Dn. Praeses ad Donell. 15. comm. 8. lit. b. Aliter Cujac. 8. obser. 9.*  
*quem sequitur Gothofr. ad d. l. hoc jure lit. X.*

C.

Si v. absq; determinatione temporis conditiones ne-  
gativae fuerint adscriptae, non nisi fine vitae expleri possunt *l.*  
*servo 65. §. 1. ff. ad SC. Trebell.* Cum n. toto vitae tempore sit in  
manu ac potestate gravati illam adimplendi vel non; perinde  
habetur ac si post mortem ipsius legatum sit *l. hoc genus 106. ff.*  
*de cond. & demonstr.* vel si stipulatus cum moreretur *§. sub condi-*  
*zione 5. Inst. de V. O.* Et quia tunc demum certum contra fieri non  
posse, morte legatariorum finiuntur *l. Titius fundus 73. ff. de*  
*cond. & demonstr. Cujac. 4. obs. 32.* Sed quoniam ille eventus tri-  
stis ac piculosus videbatur utpote qui vix aut nullo modo ex-  
pectari poterat, ac ita relictis commodum post mortem demum  
expectandum erat, siquidem in ultimo vitae spiritu nemo po-  
test adire *l. fin. ff. qu. dies leg. ced.* Unde eveniebat ut hereditas,  
quae pendente conditione adiri minime poterat ex L. Julia  
Papia tanquam caduca fisco applicaretur *l. un. C. de cad. toll.*  
Legatarius v. cui testator prospexisse videbatur legati in vita  
emolumento & beneficio nunquam fruebatur *Simon de Prat.*  
*de Interpr. ult. volunt. Interpr. 2. dub. 1. n. 23.*

CI.

Illud ipsum quia alienum a voluntate testatoris videba-  
tur cujus voto tam ominosa interpretatio non opponenda *l.*  
*72. in pr. ff. de cond. & dem.* utpote qui magis honorare quam  
gravare, nec tam impium votum mortis sibi ipsi optandae, vel  
ab heredibus captandae legatario injicere voluisse praesume-  
batur Q. Mutius Scævola, quo omni ex parte praesumptae te-  
statoris voluntati satis fieret. 1. Conditioni adscriptae Legata-  
rius pareret. Deinde emolumentum relictis etiam percipere  
posset, non legem ferendo, ut quidam sciscitant, sed per juris  
interpretationem remedium cautionis a legatis sub modo re-  
lictis *l. eas causas 80 ff. de cond. & dem. & l. si tibi 19. ff. de leg. 3.* mu-  
tuavit & ad legata sub conditione negativâ extendit; Quâ pra-  
estita & oblata, de non contra faciendo praedictae negativae

H 2

con-



conditioni aut emolumentum acceptum restituendo Legatarius exemplo legati sub modo relictum statim petere poterit illamque à suo nomine Mutianam nominavit *l. Mutiana 7. ff. de cond. & demon. ibid. gl. & Bartol. n. 8. Novell. 22. c. 43. ibi sed Q. Mutius Scaevola. Acac. Anton. d. loc. n. 82.*

### CII.

Cui tamen in subsidium tantum & alio remedio cessante locus est *l. Avia. 77. §. 1. & l. si ita 103. ff. de cond. & dem. Acac. ad l. 7. n. 40. Galgan. p. 2. c. 6. q. 6. n. 5.* Non quod testator modum potius quam conditionem fecisse videbatur nisi aliam mentem ipsius fuisse hæres probaverit *ut Cujac. 14. obs. 32. opinatur: Quid n. opus fuisset tunc Q. Mutii remedio cum in iisdem satis honorato erat provisum; illaque legata sub modo & conditione maximè adhuc differant l. eas 80. ff. de cond. & dem. Sed propter præsumtam testatoris voluntatem quæ procul dubio est ut hæres & legatarius relictum habeant l. 79. ibi quamvis ff. eod. Castell. Assert. 161. Simon de Præcis de Interpr. ult. volunt. lib. 5. Interpr. 2. dub. 1. n. 23.* Cui non solum in legatis sed etiam in hæreditatibus sub conditione negativa seu affirmativa implicitam negativam habentibus locus est *l. Mutiane 7. §. non solum ff. de cond. & demonstr. Galgan. d. loc. n. 6.* Modò ab arbitrio & voluntate gravati dependeant *l. hoc genus 106. de cond. & demonstr. R. ridiculum a. est quem cavere posse non fieri quod à fato & fortuna seu alterius arbitrio pender Acac. Anton. ad d. l. 7. nu. 36. & seqq. Emanuel. Acoft. in l. cum tale §. si arbitrato n. 3. limit. 4.*

### CIII.

Quia a. conditiones in non faciendo consistentes quædam tales sunt quæ vivo legatario seu gravato possunt impleri *l. fin. ff. de cond. Inst. in quib. necessitatis Mutianæ superius tradita rão cessat; Num in iis etiam conditioni locus sit magna difficultas exurgit? Negantes adducunt fortissimum argumentum ex l. pater 101. §. fin. ff. de cond. & demonstr. ubi Papin. ideo cautionem Mutianam locum non habere tradit, quia morte viri possit existere. Deinde *l. hoc genus 106. idem que probari posse videtur ex l. 72. in pr. & §. 7. h. t. Donell. 8. comm. 33. lit. S. Faber 2. conject. 16. Castell. de usufr. Assert. 160. Simon de Præcis de Interpr. ult. volu. lib. 5. Interpr. 2. dub. 1. n. 28. Galgan. p. 2. c. 6. n. 6.* Et quam-*



## CIV.

Et quanquam ista primo intuitu speciem quandam habere videntur: attamen si textus & juris rationem nec non Q. Mutii Scevolæ mentem paulo penitius, introspeciamus obtinendum pariter ac in cæteris locum esse remedio Mutiano, sive vivo legatario sive non existere possint; idque manifestè probatur *d.l. Mutiana 7.* ubi conditio si capitolium non ascenderit, item si dotem non petierit, cautionem Mutuanam admittit. Cum tamen constet utramq; vivo Legatario adimpleri posse illa quidem capitolio corruente; hæc v. per acceptilationem *l. mulier 2. ff. de cond. Inst.* Deinde per *l. 4. §. fin. ff. de cond. Inst.* ubi cavetur cohæredi ab eo qui ita institutus, si servū hereditarium non alienaverit & *l. cum hac 67. ff. de cond. & demo.* quæ tamen vivo hærede per mortem servi adimpleri possunt *Acac. ad d. l. 7. num. 32.*

## CV.

Quibus ita firmatis superest ut videamus quomodo contrariæ & communis sententiæ fundamenta dilui possint; quod igitur *ad d. l. pater 101. §. socrus* attinet valde macerant se Dd. in enotando nodo isto, eundem aliter *Accurs.* aliter *Bartol.* resolvit. Quibus, quia scopum pertingere non videntur, missis *d. §. de mixta conditione* accipiendum existimamus, cui cautionem Mutianam repugnare supra ostendimus. Nec est ut se macerent *in d. l. 106.* cum ista conditio in affirmativam resoluta ex duorum voluntate & arbitrio dependeat. *Add. l. 72. §. 2.* nunc perveniendum quæ accipimus de Fideicommissio, quod post mortem hæredis est relictum, cui commodum illud præstita cautione à legatario auferri nequit, & quia conditione existente alio modo legatum acquiri pōt, meritò cessat cautio Mutiana *l. Avia. 17. §. 1. ff. de cond. & demonstr.*

## CVI.

Ea a. quæ diximus non modo in legat: fideicom. & hæreditatibus *l. Mutiana 7. §. 1. ff. de cond. & demonstr.* Verum etiam in donatione mortis causa obtinent *Novell. 22. c. 44. ibi* præfata à nobis, &c. utpote quæ oēs effectus sibi sortitur, quas ultimæ habent liberalitates & sic quoad effectum legatis & fideicommissis exequitur *l. ult. in fin. C. de donat. mort. caus.* Id quod generaliter traditur *in l. illud ff. de mortis causa donat. §. 1. Inst. eod.*



*Covar. in rubr. de testam. part. 1. n. 15. Eman. Acosta lib. 2. select. c. 5. nu. 5. Molin. 2. disp. 285. Mantic. de ambig. convent. lib. 14. tit. 42. nu. 27. Acac. Anton. ad d. l. 7. n. 74. & seqq. Dissent. Anton. Faber. 2. conject. 16. in fin.*

CVII.

Quia igitur constat non modò ultimis dispositionibus, verum etiam contractibus quibusvis, condiciones negativas seu in non faciendo conceptas adjici posse, nobilis & jucunda sese offert quæstio: **Utrum in contractibus beneficium cautionis Mutianæ locū habeat nec ne?** In qua difficultate extricanda itidem Dd. non conveniunt. Inveniuntur qui affirmativam amplexi fuere *per text. in l. 58. §. fin. ff. locati* ubi conducens certo pretio balneum reficiendum cautione præstita pecuniam petere potest. Deinde argumento ducto à donatione mortis causa, quæ in multis contractibus assimilatur *Gæd. de contrab. stipul. c. 8. n. 172.* Alii v. distinctione rem componere satagunt inter contractus b. f. & stricti juris in illisq; locū habere autumāt, utpote qui ob summā æquitatem cōprehendant id quod bonū & justū est, licet verbis non sit expressum; in his v. non nisi sub modo conceptus sit, in quorum partes inclināt *Galgan. p. 2. c. 6. q. 6. n. 17.*

CVIII.

Nos a. veriori juris parti adhærentes veriore assertionem eorum existimamus qui simpliciter negant: In contractibus sub conditione in non faciendo conceptis locum habere præstationem Mutianam. Quia dependet à duorum voluntate *§. si quis ita Inst. de V. O. l. 1. §. conventionis ff. de pact.* in quib. non est verosimile de breviori tempore cogitasse debitorem, eum ipsi commodius & utilius sit tardius solvere *l. si ita stipulatus 109. de V. O. dilatio* censetur apposita in debitoris utilitatē *l. cum qui 41. §. fin. ff. eod. tit.* In dubiis semper interpretatio fit adversus creditorem qui legem potuisset dicere aperrius *l. veteribus 39. ff. de pact. l. quicquid 99. de V. O.* Quæ ratio cessat in ultimis dispositionibus *l. ex factis 35. ff. de hered. Inst.* Cum testator præsumatur legando voluisse ut legatum statim ad legatarium pertineat, & ut ante suam mortem illo frui possit, cum plerumq; ob ejus benè merita relinquuntur *l. neq; adjecit ff. pro Socio. Castell. de usufr. assert. 162. 3.* In contractibus licet obligatio



legatio & actio suspēdatur *l. ususfr. 26. de stipulat. seruo.* existente tamen conditione eo tempore quo stipulator moritur nihil prohibet in ipsius hæredes obligationem transire adeoq; efficax est, quæ cessat in legatis & reliquis ultimis dispositionibus, utpote in quibus hæreditas seu legatū non agnitiū non transmittitur, sed necessario intercidit, ut infra ostendemus *Anton. Faber 2. coniect. 16. Eman. Acoft. 2. select. Interpr. c. 5. nu. 4. Mantic. lib. 14. Vatican. lucubr. tit. 42. n. 26. eleganter.* Idq; subtiliter limitat *Acoft. lib. 2. select. Interpr. c. 5. n. 5.* Si forsan debitum sit tale quod ad hæredes nō transeat uti ususfr. & alimenta; tunc benigna interpretatione & ut promissio potius valeat quàm pereat *l. quoties ff. de V. O. præstita cautione simplici nō Mutianâ statim creditor petere potest sequitur Acac. Anton. d. l. 7. n. 66.*

CIX.

Corruunt igitur contrariæ opinionis fundamenta ex se præsertim *d. l. 58. §. 1. ff. loc. quæ de contractu sub modo loquitur* in quo cautione præstitâ generali quivis debitum petere potest *l. 19. ff. de leg. 3.* Alterum v. exinde quia donatio mortis causa quoad effectus juris ultimis voluntatibus annumeratur *l. fin. C. eod. & per tradita th. 106.* Quod a. b. f. contractus attinet in illis peculiare aliquid contra jus statuendum non est, uti existimat *Galgan. d. loc. in præjudicium promissoris, cujus voluntas est attendenda, nec quod ipsius favore introductum in eius odium est extendendum.* Sibi n. imputet creditor quod non apertius dixerit legem *d. l. quoties de V. O.* Nec est inanis contractus cum transeat ad hæredes quib. contrahentes prospexisse præsumuntur *l. 9. ff. de probat. Ant. Faber 2. coniect. 16.*

CX.

In forma specifica num conditio adimpleri debeat, novantiqua contentiois serra hinc trahitur. Quæ adeo torfit Interpretes ut quid tandem statuendum vix habuerint. Nonnulli existimant eam formaliter esse implendam, adeoq; naturaliter magis quam civiliter *l. qui heredi in pr. l. Mævius 55. de cond. & demon. l. fin. C. de his qui ven. et at. impetrar.* Alii sufficere si per equipollens eidem pareatur, & verum non esse Bartoli effatum, quod conditio in forma specifica impleri debeat *Fortun. Gartz. in l. Gallus §. & quid si tantum ff. de lib. &*



*lib & posthum. Caphal. consil. 166. n. 54. Quidam v. distinctione*  
adhibitâ nodum explicare conantur, inter conditionem vo-  
luntariam & necessariam ad executionem actus, adeo ut hæc  
possit impleri per æquipollens, illa v. quia ibi nulla alia ratio  
consideranda sit quàm ipsa conditio, non nisi in forma speci-  
ficâ *Sarmient. lib. 2. select. Interpr. c. 1. n. 12. Mantic. lib. 14. Vatican.*  
*lucubr. tit. 43. n. 6. Marius Salomon. in paradox. ad l. Gallus §. &*  
*quid si pag. (mibi) 29. ubi qui nam sint actus ad effectus necessa-*  
rii vel voluntarii elegantissimè declarat. Quorum omnium,  
opinionem quamvis rationibus non destitui videantur, nobis  
nullatenus probantur; opinamur igitur illud totum ex cir-  
cumstantiis & conjecturis testatoris seu contrahentium de-  
pendere, & si disponens implementum conditionis tantum  
inspexerit sufficere quocumq; modo impleatur, puta si com-  
penset *l. si peculiū §. 1. de statuliber. vel accepto feratur l. si fun-*  
*dum §. Titio ff. de leg. 1. Cachéran. dec. 92. nu. 3. Sin v. animum po-*  
tius ad modum & formam habuerit, formaliter esse imple-  
dam *vide quæ dixi supr. concl. 93.*

CXI.

Pluribus conditionibus conjunctim hæredi datis omni-  
bus; disjunctim v. cuilibet, parendum esse Paulus respondit *in*  
*l. si hæredi §. ff. de cond. Inst. §. pen. Inst. de hæred. Inst.* Nam si plures  
conditiones conjunctim adscriptæ sint seruo, cum ei libertas  
legetur, nisi omnibus paruerit, liber non erit, *inquit Modest. in*  
*l. quod vulgo 46. ff. de man. test. Quod verū est quicquid etiā Bald.*  
*in d. l. si plures C. de cond. insert. n. 20. contradicit. Idq; ideo quia*  
in conjunctiva oratione duo extrema vera esse oportet; in  
alternativa v. sufficit verificatio unius *l. si is 13. §. 2. ff. de Reb. dub.*  
*l. si quis ita 129. ff. de V. O. l. 13. ff. jud. solv. Fr. Balduin. de condit. c. 9.*  
*in fin. Ludov. de Cassan. consil. 1. nu. 1. & seqq. Quamvis nihil pro-*  
hibeat quò minus conjunctæ pro disjunctis & viceversa in-  
terdum accipi possint, si juris ratio & testatoris aut contrahen-  
tium voluntas aliam interpretationem æque commodam  
admittere non possit *Julian. in l. si is 13. §. cur ita & seq. ff. de reb.*  
*dub. text. expr. in l. sæpe 53. ff. de V. S. ut in exemplis de quibus l.*  
*generaliter C. de Inst. & subst. ubi conditio ista, si Filius sine liberis*  
*vel intestatus moriatur pro conjunctâ accipitur, ita sc. si sine liberis*  
*& intestatus decedat. in l. conjunctionem 29. ff. de V. §. l. si quis ita*  
30. de



30. de aur. & arg. leg. Secus si verba sint clara & voluntatis quaestionem non patiantur *l. ille aut ille 25. §. 1. & l. non aliter 69. ff. de leg. 3. Anton. Faber 17. conject. 18. & eleganter confirmat in casu posteriori l. Lucius Titius 81. ff. de hered. Instit. 17. conject. 18. qui omnino videatur.*

### CXII.

Hic non possum mihi temperare quin illam non paucæ frugis quaestionem subjiciam: **Utrum conditio pro parte impleri possit nec ne?** Navigantes in isto profundo & turbulenti pelago distinguendum esse putant inter conditiones dividuas, quarum partium præstatio utilitatem quandam adfert, sive natura sive intellectu juris, quas vulgo indivisas seu partes pro indiviso nominant *Alex. Turamin. de divid & individ. & Molin. p. 3. n. 50.* & individuas quæ partium præstationem, nec naturâ nec intellectu juris admittunt. In illisq; pro parte liberationem contingere ad hoc ut relictum pro illâ parte petere possit; in his v. non. Quæ omnia quidem subtiliter sunt excogitata, sed nodum istum mihi extricare non videntur. Quamvis n. non inficiar earû conditionem individuâ scindi aut pro parte impleri non posse, sive uni sive pluribus fuerit adjecta *l. pen. in pr. ff. de cond. & dem. l. si ita fuerit 13. ff. de manumiss. test. l. si plures pen. C. de cond. & inscit.* Dividuas v. conditiones naturâ seu obligatione partis præstationem, admittere, & sic ab initio rectè pro parte legari vel promitti; solutione tamen seu liberationis effectu dividi simpliciter nego, nec si uni fuerint adpositæ pro parte impleri aut scindi posse existimo *per text. expr. in l. qui duobus 23. l. 44. §. fin. & l. cui fundus 56. ff. de cond. & demon.* Idq; conditionis ratio tanquam tacita voluntas adponentis operatur quæ implementum instar solutionis indivisum reddit. Illa n. formam inducit quæ ex omnibus suis partib. constat & ex consummatione operis contingit *l. si is qui 8. §. fin. ff. ad l. Falcid.* Licet conditio ad plures hæredes transeat *d. l. cui fundus 56.* cum ex eorum persona conditio obligationis non mutetur *l. 2. §. ex his de V. O.*

### CXIII.

Quæ tamen hoc moderamine intellecta velim ut onus ex emolumêto cui adjicitur mēsuretur & eo diminuto diminuat

I

tur *l. Plau-*



tur *l. Plautius 43. §. si. ibi quāto minus tibi praestiterit tanto minus te Titio prestare nec est iniquum, & l. 4. heredi 44. §. 9. ubi parte rei legatae usucaptae conditioni etiam pro parte parendum est l. sed si 62. §. 1. ff. de cond. & demonstr. text. expr. in l. ei qui 20. ff. de donat. mort. caus. ubi Julianus tradit non totam summam praestari debere, ut partem fundi habeat sed partem duntaxat prorata quā legatum consequitur, eleganter Franc. Baldui. de condition. c. 3. ferè in pr. Card. Mantic. lib. 14. Vatican. lucubr. tit. 43. no. 27. Donell. 8. comm. 33. lit. M.*

#### CXIV.

Quaquam a. uni adjecta conditio pro parte impleri non possit. Si tamen ab initio pluribus conditio talis adponatur, ex mente disponentis conditionem scindi & pro parte rectè impleri ut partem legati consequatur statuimus *l. si quis legata 54. §. fin. de cond. & demonstr. & d. l. cui fundus, ibi pluribus conditio adposita divisa in singulis personis videri potest. Idem contingit si sub uno plures personae concipiantur, uti in servo communi text. in l. qui heredi 44. §. 8. ff. de cond. & demon. Quoties n. unus plures repraesentat, idem juris est de uno quod de pluribus separatis *l. & Proculi. 20. ff. de leg. 2. cum vicem duorum servorum servus communis sustinere dicatur l. 1. §. communis ff. de stipul. servor. Mantic. Vatican. lucubrat. d. loc. num. 28. Franc. Balduin. c. 3.**

#### CXV.

Advertendum etiam hoc loco, quod non requiratur omni tempore conditionem adimpleri, sed sufficit si momento temporis ejus implementum fuerit secutum, licet impleta non duret *l. in substitutione 31. ff. de vulg. & pupil. l. rogo 21. ff. de Fideicomm. libert. l. heredibus 77. ad SC. Trebell. cum uxori C. qu. dies leg. Quia in conditionibus tantum inspicimus principium primae existentiae nec ejus successus est curandus Jason. in d. l. si quis n. 2. Grammat. decis. 102. n. 96. Hinc conditio adjecta si vidua erit impleta dicitur mortuo marito, licet postea ad alia vota transierit *l. ult. C. de indict. vid. toll. Mantic. de ambig. convent. lib. 14. tit. 44. nu. 8. & seqq. Job. Baptist. Costa de facti scient. & ignorant. inspect. 11.**

#### CXVI.

Nisi conditio sit talis, quae ex sui natura tractum temporis suc-



ris successivum & perseverantiam requirat ut in *l. qui quatuor* 30. §. *uxori ff. de leg. 3. l. si quis ita* 8. & *l. cum tale* 72. ff. *de cond. & demonstr.* Idque contingere solet si causa suum effectum momento temporis non fecerit; quia nihil actum dicitur, quando adhuc aliquid agendum superest *l. pen. C. ad Syllan.* Nec factum dicitur, quod factum non durat *l. si parte 10. §. versum ff. de in rem. vers. l. item §. quod si actor ff. quod cuiusq; univers. nom. l. Celsus §. idem ff. de arbitr.* Unde non dicitur venisse, qui non stetit *l. sciri oportet §. sufficit ff. de excus. tutor.* nec solvisse qui statim repetit *l. qui sic ff. de solut. Fœnut. de moment. tempor. c. 29. Mantic. d. loc. n. 10. & seqq. Simon de Prat. de Interpr. ult. vol. lib. 5. dub. 2. n. 126.* Nunc subjicimus etiã qn. pro impletis habeantur.

CXVII.

Fictè impleri dicitur conditio qn. revera quidem deficit, propter aliquam tamen causam pro impleta habetur, & extitisse fingitur. Fictio siquidem contraria est veritati *l. Filio quem ff. de liber. & posthum.* & tantum operatur quantum veritas *l. un. C. de rei uxor. act. l. si filius ff. si cert. pet. imitatur naturam & quod naturaliter fieri nequit, nec civiliter fingi potest l. adoptio ff. de adopt. Mantic. lib. 14. Vatican. lucubr. tit. 45. n. 1.* Exinde consequitur casualem conditionem, quia ex viribus fortunæ pendet, pro impleta nunquam haberi, sed casu formaliter non existente semper defectam dici *l. un. §. sin a. C. de cad. toll.* quia in illis solus eventus, nunquam modus aut factum ejus qui debet implere consideratur.

CXVIII.

Econtra potestativa conditio semper pro impleta habetur, quoties per honoratum non stat quo minus impleatur quocunq; etiam modo impedimentum creetur, sive casu sive facto alterius *l. que sub cōditione §. mortuo ff. de cōd. Inst. l. Titius 14. h. t. l. 54. §. 2. de leg. 1. l. 30. §. pen. de leg. 3. l. fin. C. de cōd. insert.* Non videtur n. defectus conditione si parere conditioni nō possit: Implenda est voluntas si pōt, inquit *Ulp. d. §. mortuo.* Et pro facto habetur qn. per me non stat quo minus fiat *l. 5. §. 15. qn. dies leg. Dissent. Donell. 8. com. 33. Cujac. ad Afr. ad d. l. 31. de cond. & demonstr.* Nisi forsan culpa vel mora ejus præcesserit, tunc n. si casu impediatur pro impleta amplius fingi non potest *l. si ea 3. C. de cond. insert. Cravett. consil. 202. n. 8. Mantic. Vati-*





*tic. Vatican. lucubrat. d. loc. nu. 10. eleganter Thad. Pifo Soac. lib. 2. var. resol. c. 3. nu. 19.*

CXIX.

De mixta igitur quid statuendum ex istis satis elucet; si enim per casum deficiat, dispositio pariter atque in casuali conditione evanescit *l. in testamento 31. & l. 71. §. 3. ff. de cond. & demonstr. l. legatum 4. C. de cond. insert.* Sin factio ulterius pro impleta habetur *l. uter. 23. ff. de cond. instit. l. in testamento 31. ff. de cond. & demonstr. text. expr. in l. 1. de Inst. & subst. Mant. d. lib. 11. coniect. ult. volunt. tit. 16. n. 17. & 19.* Et hæc sine dubio procedunt si factio ejus deficiat sine cujus persona non potest impleri conditio *text. expr. in l. si post diem 5. §. 5. ff. qu. dies leg. ced. Gozadin. consil. 40. num. 8. Acac. Anton. ad l. 71. num. 42. & seqq.*

CXX.

Hoc tamen generale est in omnibus conditionibus. Quoties conditio deficit factio ejus, cujus interest eam non impleri perinde habetur ac si impleta fuisset *l. jure civili 24. l. Julius Paulus 81. §. 1. ff. de cond. & demonstr. l. in jure 161. ff. de R. J. l. si peculium 20. §. 3. l. 39. §. si Stichus 4. ff. de statuliber.* Idque indistinctè etiam in casuali verum esse scribit *Socin. in d. l. in testamento num. 2.* Nec duntaxat in ultimis voluntatibus, verum etiam in contractibus *d. l. jure civili & l. in jure 161. l. in executione 85. §. fin. ff. de V. O. ibid. Jason. l. Labeo scribit. 50. ff. de contrah. empt. l. dedi 3. §. fin. ff. de cond. causa dat. causa non sec.* Non enim debet esse in potestate unius partis reddere contractum inutilem, vel illudere contrahentem *secundum l. si quis rem 30. & l. ac in potestate 26. ff. de recept. arbitr. text. in C. si civitas de sentent. excommun. in 6. Cravett. consil. 682. n. 7. vol. 4. Anchoran. consil. 281. nu. 10. Mant. de ambig. convent. d. loc. nu. 37.* Quod secus est in colluctatione ubi licitè quis impedire potest, ut victor existat *Jason. in d. l. 85. §. fin. num. 3. Mant. de coniect. ult. volunt. lib. 11. tit. 16. n. 24.*

CXXI.

Nullatenus etiam prætermittenda hæc magna illa contentio: Num conditio à tertio cujus nihil interest, nec



est, nec in cuius persona impleri debet, impedita pro impleta sit habēda nec ne? In quā enodanda *Bart. & Ias. in d. l. 1. C. de Inst. & subst.* varios distinguūt casus. Nos illud ipsum in potestativa pro in dubio habemus *per tex. in d. l. Jus civile & l. 161. de R. 7. & tradita in tb. 118.* In casuali verò & mixta semper deficere existimamus; quia testator ipsum eventum, non animum seu modum respexit; quocunq; igitur modo impediatur conditionis existentia nihil interest. Nisi forsā consultò & datā operā impediatur implementum conditionis *l. dari 3. §. fin. ff. de condiēt. causa dot. l. Titius si statuas 14. ff. de cond. & demonstr.* Eo enim in casu & quia per naturam, & casum existere possit, nec per insidias fortunæ impediatur merito pro impleta habetur. Secus si per accidens implementum conditionis impediatur *l. 3. §. si quis servum & l. non omne ff. de statuliber.* Quamvis hoc casu honoratus contra impediētem propter culpam ad æstimationem damni experiri possit Actione L. Aquiliæ *l. idem Neratius 23. §. 2. ff. ad l. Aquil. Mantic. lib. 11. de conjeēt. ult. volunt. tit. 16. n. 22.* Sin culpa testatoris, puta legatum sub conditione, si corpus suum fecerit sepeliri in Ecclesia, & testator fuerit excommunicatus, tunc conditio pro impleta habetur *Thad. Pifo Soc. lib. 2. var. resol. c. 3. num. 21. in fin.*

CXXII.

Cum quæritur: Num animus impediēdi conditionem in dubio præsumatur? In affirmativam sententiam communiter abeunt omnes, existimantes præsumi factum tertii ad hoc ordinatum ut impediatur implementum conditionis, & consequenter haberi pro impleta *Mantic. de conjeēt. ult. vol. d. loc. n. 22.* confirmant aliqui *per l. 3. §. 1. ff. de statuliber.* Quod ipsis largior ultro; si is impediatur, cujus causa ob conditionem non existentem redditur melior & spem lucri habeat vel ex implemento damnum sentiat, seu in cuius persona impleri debet *arg. l. eleganter §. ult. ff. de dol.* Quod a. indistinctè etiam ad tertium extendere conantur, ab iisdem divortium facio, & in negativam magis inclino partem. Dolus siquidem præsumeretur aliàs contra juris regulas: à qua qualibet causa etiam fatua excusat. Mem-





Cap. VI.  
De Trans-  
missione.

*Membrum seu Caput sextum.*  
De transmissione conditionum.

CXXIII.

Pleniore calamo disseruimus hactenus de conditionum implemento, & quando ex conjectura voluntatis pro impletis habeantur. Quod si contingat ut honoratus pendente adhuc conditione decedat, certissimi juris est in contractibus illam spem ad hæredes transmitti §. *sub conditione* Inst. & *l. si quis* 57. ff. de V. O. Tam ex promissoris quàm stipulatoris parte §. *cum quis* Inst. de inutil. stipul. textus elegans in *l. necessario* 28. §. *si pendente* ff. de pericul. & commod. rei vend. *l. pecuniam* 36. ff. de reb. cred. *l. cum speciem* 5. C. de peric. & com. rei vend. Quia intercedit factum creditoris, qui præsumitur non modo sibi verum etiam hæredibus suis prospexisse *l. 9.* ff. de probat. & *l. veteris* 13. C. de contrah. & com. stipul. Acac. Anton. ad d. rubr. n. 20. qui hoc de observantia contractus non fructuum perceptione accipit, vide infr. th. 128. Idque indistinctè etiam de potestativa conditione accipio per text. generalem in §. *ex conditionali test.* de V. O. gl. in *l. sub hac* ff. de O. & A. Duaren. in *l. qui Romæ* §. *Augerius* ff. de V. O. modo conditio non cohæreat personæ ut in d. §. *Augerius*. Covarr. 2. præct. quest. 39. elegantissimè. Quicquid etiam contradicant Gail. 2. obs. 2. Gomez. 2. var. resol. c. ii. num. 36. Peregr. de Fideicom. art. 16. num. 126. & Dd. in d. §. *Augerius communiter*. Quibus omnibus satisfacit Covarr. d. l. & Johan. de Castell. p. 3. controv. c. 14. num. 5. & seqq.

CXXIV.

Secus in testamentariis dispositionibus, in iis n. transmissioni nullo modo locum esse, sed institutionem & substitutionem legatum & fideicommissum, si ante conditionis existentiam honoratus prædecesserit, extingui susque deque habemus text. expr. in *l. liber homo* 59. §. 6. ff. de hæred. Instit. *l. qui habebat* 47. de vulg. pupill. *l. si ita* 65. §. 1. ff. de leg. 1. *l. intercedit* 59. in pr. ff. de cond. & demonstr. *l. is cui* 42. ff. de Obl. & Act. ubi propter transmissionem stipulator creditor vocatur, legatarius v. non & *l. un. §. sin a.* C. de cad. toll. Ratio, quia testator non præsumitur



3.  
præsumitur voluisse hæredibus hæredis seu legatarii prospicere qui magis succedunt ex dispositione legis & fortuito, quam ex iudicio testatoris *l. qui liberis 8. ff. de vulg. & pupill. l. sed et si 6. ff. de leg. 3.* Deinde spes legatarii ex donatione & facti est; facta a. cum personâ extinguuntur *l. ult. ff. de cond. Inst.* Nulla distinctione habitâ inter ascendentes & descendentes liberos seu extraneos uti probatur *text. elegant. in l. hæredes mei 57. §. cum ita ff. ad SC. Trebell. l. si in personam 21. C. de Fideicommiss. ubi Fideicommissum patri relictum sub conditione si prædefuncti patris uxor sine liberis decesserit, petere nequit, quamvis conditione vivo patre existente hæreditatem vindicare possit & text. in d. l. un. §. sin a. Peregrin. de Fideicom. artic. 31. n. 6. Boer. decis. 354. nu. 13. & seq.*

### CXXV.

Plures casus hic excipere conantur Dd. quos longa serie recenset *Mantic. de conject. ult. volunt. lib. 11. tit. 20. nu. 15. & seqq.* Existimantes ex conjecturatâ & præsumptâ testatoris mente ac voluntate interdum transmitti legatû & fideicommissum conditionale, ut in specie *l. cum avus 102. ff. de cond. & demonstr. & l. cum acutissimi C. de Fideicommiss. ubi descendentes gravati hæreditatem post mortem restituere, intelliguntur gravati si decesserint sine liberis ex conjecturâ pietatis, ne videatur testator alienas successiones propriis antepone, & quominus scriptum quâ dictû sit *Paris. consil. 78. n. 3. vol. 2.* Verum si sano iudicio mentem testatoris in hoc & aliis casibus intueamur, utrobique errasse ipsos manifestè deprehendimus. Cum iisdem casibus liberis jus succedendi ab intestato, reservatum videatur ut ex *Accurs. notat Anton. Faber 17. conject. 19.* & ita succedunt ex dispositione præsumptâ jure proprio non jure transmissionis, ut mox ostendam. Et licet maximè concederem jure transmissionis ad liberos pertinere hæreditatem, illud tamen ad fideicommissum quod in patre adhuc est conditionale & nondum purificatum extendi nullatenus potest: Quia n. pater institutus sub conditione ex iudicio avi ante conditionis existentiam hæreditatem seu fideicommissum aliter habere non debet nisi eâ impletâ, jura, *in d. l. cum avus & d. l. cum acutissimi*, ad præsens negotium cessante conjecturâ pietatis*



pietatis accommodari nec fideicommissum conditionale ad  
liberos transmitti contra omnes nego. motus *text. expr. in l.*  
*heredes mei 57. ff. de SC. Trebell.* Deinde absurdum esset trans-  
mittere ad liberos illud, quod in sua persona non constitit  
*d. l. un. §. sin autem 7. C. de cad. toll.*

CXXVI.

Non indignum iudicio nostro & illud est: Num Fi-  
deicommissum conditionale unitum, cum ju-  
re accrescendi transmittatur? Quem passum *Bald. in*  
*consil. 9. nu. 1. vol. 2. de Apicibus juris refert, & consil. 6. num. 4. vo-*  
*lum. 3. in partem affirmativam inclinat per l. qui patri 59. ff. de*  
*acquir. hered. sequuntur plurimi Caphal. consil. 16. nu. 45.* Qui-  
bus propter generalitatem *textus in l. un. §. sin autem C. de*  
*cad. toll.* repudio d. Cum enim jus accrescendi in diversis  
speciebus successorum locum non habeat *l. sed cum 5. ff. de*  
*bon. poss. l. 1. C. de testam. milit.* non potest dici beneficio ipsius  
fideicommissum conditionale transire, sed remanet penes i-  
psam à quo fuit relictum *d. §. pro secundo.* Nec hisce resistit *d. l.*  
*qui patri 59.* quæ loquitur de eo qui non potest repudiare sub-  
stitutionem, adeoq; merito transmittit propter jus accrescen-  
pi, quod portioni occupatæ accedit *Mantic. de conjeet. ult. vol.*  
*lib. 11. tit. 20. nu. 12. & seqq.*

CXXVII.

Pro indubitato prorsus ponunt in fideicommissio seu  
legato relicto sub conditione tacitæ transmissioni locum esse  
*l. si dies §. ult. ff. qu. dies leg. ced. l. que sub conditione ult. de con-*  
*dit. Inst. Mantic. d. loc. n. Peregrin. de Fideicomm. artic. 31. n.*  
*22. & seqq. qui istud late prosequitur.* Quorum opinioni subscri-  
bere non possumus, haud quidem negantes in casibus ab ipsis  
enarratis transire ad hæredes, non tamen jure transmissionis,  
sed tanquam patrimonium proprium defuncti seu purè reli-  
ctum. Cum Legata talia conditionalia non esse propriè sed  
figurà tantum orationis sæpè ostensum sit. Et hæc breviter  
etiam de Transmissione conditionum dicta  
sufficiant.

*Membrum*



*Membrum seu Caput septimum.*

De Fictione Translativa seu Retrotra-  
ctionibus.

De Retro-  
tractionib.  
Cap. VII.

CXXVIII.

Juxta ordinem præmissum nunc procedimus ad earun-  
dem Retrotractionem, quæ indagatio maximam habet diffi-  
cultatem & dubitationem, pariterque in fictione legis, quæ  
ipsius veluti prora & puppis est, fundatur. Fingitur enim  
extitisse conditio & retrahitur ad tempus, quò revera non  
extitit. Quæ tamen fictio locum non habet, nisi extremorum  
duorum habitas concurrat; temporis nempe à quo & tem-  
poris ad quod refertur fictio translativa *l. quoties 14. ff. de No-  
nat. l. postquam 5. ff. & l. legat. mun. l. fin. quæ res pign. oblig. Joh.  
Baptist. Costa. de Retrotract. c. 7. n. 1.* Quod si pendente con-  
ditione superveniat impedimentum reddens extremum à  
quo inhabile, cessat fictio & retrotractio. *elegantè Paris. con-  
sil. 11. n. 24. & seqq. vol. 1. Monter. decis. 50. n. 21.* Etiam in præ-  
judicium ejus, cui pendente conditione jus purè quæsitum  
sit *l. sub conditione. ff. de solut. d. l. qui balneum & l. potior. §. 1. ff.  
qui potior in pignor. Covarruv. consil. 49. n. 7. vol. 3.* Quin non  
rarò plus conditione adimpleta acquiritur, quàm ab initio  
relinquitur *l. si tibi 17. ff. quib. mo. usus. am. l. is cui. 11. ff. quo. serv.  
amitt. Fr. Balduin. de condit. c. 13. dissent. Moller. 5. Semestr.  
cap. 63. nu. 2.*

CXXIX.

In contractibus igitur, extra dubium, locum habet  
Retrotractio adeò ut conditio existens reducatur ad initium  
ejus, perinde ac si illo tempore contractus purè fuisset ce-  
lebratus *l. qui balneum. 9. & l. potior. 11. §. 1. ff. qui potior in  
pignor. tam quoad commoda quàm incommoda, l. necessa-  
rio? §. quod si pendente ff. de pericul. & comm. rei vend. & sic non  
modò pro sorte, sed etiam pro fructibus pro interesse & aliis  
accessionibus annuatim debitis vel dietim, vel menstruatim  
decursis. L. Lucius Titius ff. qui potior: in pign. Surd. decis. 271  
num. 2. Caval. decis. 27. num. 23.* cum regulariter accessorium

K

regule-



reguletur secundum ordinem principalis *Balduin. tract. pign.*  
c. 10. *Negusant. de pignor. 2. membr. 5. nu. 10. Moller. lib. 5. semestr.*  
c. 63. *in pr. Caroc. dec. 51. per tor.* qui tamen in fine ad conditio-  
nem omninò extituram restringit, quod displicet.

CXXX.

Hic multis innodatam ambagibus quæstionem ad li-  
mam revocare lubet: Num in Emptione & Vendi-  
tione implementum conditionis ad initium  
contractus retrahatur necne? In cuius resolu-  
tione *Mantic. lib. 14. de ambig. con. tit. 46. n. 6.* affirmantibus  
adstitit, siue sub conditione Emptio contrahatur, siue dissol-  
vatur; existimans priori casu omnes fructus intermedio  
tempore perceptos ad Emptorem pertinere: posteriori verò  
casu non, sed Venditione resoluta ad venditorem redire *per*  
*text. in l. Item qui 6. § l. Imperator 16. ff. de heredum addict.* A  
quo tamen in posteriori casu meritò secessum facimus sta-  
tuentes fructus rei & alias accessiones Emptoris manere, nec  
ullo modo ad Venditorem pertinere. *l. 2. §. 1. ff. de her. addict.*  
*Caroc. dec. 51. n. 14. Dissent. Acac. Anton. ad rubr. huius tit. n. 21.*  
*qui istud tantum de observantiâ contractus accipit.*

CXXXI.

Creditorem igitur habentem anteriorem hypothecam  
sub conditione posteriori puram habenti ratione sortis præ-  
ferri conveniunt. Sed utrum illud ipsum etiam ad  
usuras extendendum, certatim comperitur in-  
ter Forenses? Quæ pugna duas peperit opiniones adver-  
sas; una ut prior creditor indistinctè præferatur, non modò  
in usuris, quæ ante, verùm etiam iis, quæ postea accesserunt.  
*per text. expr. in l. Lucius. ff. qui potior in pign.* quia pignus non  
solum pro sorte, sed etiam pro usuris intelligitur constitutum  
*l. pignor. C. de usur.* Usuræ autem debentur sub conditione, si  
fors non fuerit soluta. *l. solutum. §. 1. et 2. ff. de pign. art. l. gre-*  
*ge. §. si sub conditione. ff. de pign. propter d. Lucius.* Alia deinde &  
quidem sanior prodiit opinio, quæ in hypothecâ expressa  
illud quidè concessit, non a. in tacitâ quæ veritati magis con-  
sentit, cum enim ex dispositione legis tacita hypotheca non  
induca-



inducatur, nisi obligatio efficax oriatur, ab eo tantum tempo-  
re præfertur, quò annua præstatio deberi incipit *Mantic. lib.*  
*14. Vatic. lucub. tit. 46. n. 9.* Nec ambigitur quod futuræ obli-  
gationi pignus & fidejussor accedere possit, sed jus prælatio-  
nis non acquiritur, nisi contractus cui accedit, perfectus sit.  
*text. expr. in l. qui balneum 9. ff. qui pot. in pign.* Quod tamen Au-  
gustus Elector Sax. im Torgawischen Ausschreiben Anno 1583.  
§. Jedoch. tit. Von wucherlichen Contracten. in usuris lu-  
cratoriis ob æquissimas rationes imutavit, adeò ut in illis nul-  
lam prioritatem habeat, donec omnibus creditoribus fors  
integra fuerit persoluta *Moller. p. 2. Const. 30. n. 3. & p. 1. con-*  
*stitut. 28. nu. 64.*

CXXXII.

Utrū potestativa conditio retrahatur nõ  
illepidæ investigationis est: In qua omnes quos ego  
viderim in negativam concedunt sententiam moti per *l. qui*  
*balneum. §. 1. ff. qui potior. ubi à contrario infertur, quod con-*  
*ditio non trahatur retrò, quæ invito debitore impleri possit,*  
*qualis est potestativa. Deinde adducunt l. pen. ff. quæ res pign.*  
*oblig. & plures quas adducit & sequitur Mantic. d. lo. n. 15. & 19.*  
*Paris. consil. 11. n. 68. lib. 1.* Quia verò liberum fuit contrahenti  
parere conditioni. *l. si servus. §. fin. ff. de Stipul. Servor. sibi impu-*  
*ret debitor quod ante sententiam adimpleverit, Negusant de*  
*pign. p. 5. membr. 2. n. 9. Cravet. Con. 576. nu. 2. vol. 4 Francisc. Bal-*  
*duin. de condit. c. 13. pag. (mibi) 278.* Verum quia argumentum  
à contrario sensu admodum in jure imbecille reputatur; In  
*d. l. pen.* Pignus non nisi à tempore contractus suam perfectio-  
nem habere possit, & ante eum inutiliter constituatur *l. qui*  
*pecun. ff. de reb. cred.* Non possum abduci quò minus credã etiã  
in potestativâ conditione locũ esse retractioni per *l. potior*  
*ff. qui potior in pig. §. 1. & ea quæ th. 127. sunt tradita.* Nec illud  
evincitur ex *d. l. quibal. §. 1.* utpote cum ibidẽ cõtrahentes per-  
fectionẽ contractus respexerint nec voluerint, illum prius  
subsistere, donec conditio extiterit quæ, quia ab utriusq; vo-  
luntate & consensu dependet, meritò conditionis retractio-  
nem impedit, & ex eo tempore demum contractum dici-  
tur quo apparet eos voluisse, & in eam consensisse.



## CXXXIII.

In ultimis dispositionibus & eloquiis quid sentiendum undiquaque expeditum non est. Reperiuntur enim qui fictionem retractivam in iis simpliciter negarunt, quos refert & sequitur *Moll. lib. 5. semesir. 63.* Verum eandem in Institutionibus pariformiter atque in contractibus locum habere & conditionem ad tempus mortis retrotrahi, ita ut perinde habeatur, ac si statim extitisset crebriori Dd. calculo obtinuit; secundum *Theoricam Bar. in l. quod dicitur ff. de Testam. milit. argum. l. si ex re 28. §. fin. ff. de stipul. servor.* Idque propter domini continuationem necessariam, ne intermedio tempore intestatus fuisse videatur. *l. omnis hereditas 138. & l. omnia 193 ff. de tut.* Qui enim postea hæres extitit videtur ex mortis tempore defuncto successisse *text. in l. hæres 54. ff. de adquir. hered. Donell. 7. comm. 10. Duar. de Acquir. hered. c. 6. Anton. Faber 8. Coni. 19. in pr.* Quod tamen cum temperamento accipiendum respectu eorum quæ juris sunt, & fictionem admittunt. Non autem retrotrahitur aditio hæreditatis respectu possessionis actualis, quæ requirit omninò possessionem corporalem, ut repleatur *Jason in l. cum heredis. ff. de adquir. possess. Job. Baptist. Cost. de Retrotract. col. 2. §. nu. 25. Matthesilan. singul. 185. num. 2.*

## CXXXIV.

In legatis num conditio retrotrahatur subtilissimæ juxta & utilissimæ indaginis est: In cuius veritate eruenda hallucinati sunt Interp. ferè omnes, communiter tamen creditum est inspiciendum esse tempus conditionis existentis, nec retrotractioni locum esse. *Fr. Balduin. c. 13. Mantie. lib. 14. Vatican. lucubrat. tit. 46. nu. 11. Job. Baptist. Cost. de Retrotract. cas. 32. c. 8. n. 16. per text. in l. 1. §. servi. ff. ad SC. Syll. Recesserunt ab hac sententia Donell. 8. com. 18. Cujac. ad l. 7. §. 5. ff. de dolo.* Agnitionem legati ad tempus hæreditatis aditæ retrofringendo. *per 44. §. 1. & l. 86. §. 2. ff. de leg. 1.* A quorum opinione non recedendum puto; sed quò minus illam fictionem etiam ad tempus mortis extendamus, non video quid impediatur. Haud dubii enim juris, Legatum rectâ viâ ad legatarium transire quasi nunquam factum hæredis *l. legatum 80. de leg. 2.* Deinde cum legatario furti agi potest, si servus legatus ante aditâ hæreditatem



tatem aliquid detrectaverit *text. in l. à Titio. ff. de Furt.* Et quamvis isti textus loquantur de puro legato, idem tamen in conditionalibus obinere patet. *ex l. is cui via 11. §. heres. ff. qm. serv. amitt. l. si fund. 34. & seqq. ff. adl. Aquil.* Tandem confirmatur exinde quod hereditatis aditio retrahatur ad tempus mortis *d. l. heres. agnitio verò legati ad tempus aditæ hereditatis adeòque fictione juris idem tempus intelligitur. Fab. adl. 7. §. 5. de dol. Hieronym. de Cavall. Commun. contra comm. quest. 757. num. 29.*

### Caput seu Membrum ultimum.

### De Effectu & Fine.

### CXXXV.

Nunc ut ceptum iter propitia Astræa suis auspiciis ac benevolentis gratiis absolvat, quid præstent conditiones & qui earum sint effectus nobis discutiendum restat: Quarum primus & principalis ut totum negotium suspendat, adeò ne obligatio vel actio ante conditionis existentiam inde nascatur. *per text. expr. in l. cedere diem. ff. de V. S. Ubi pendente conditione nec cessit nec venit dies l. grege. 13. §. 5. ff. de pign. l. 41. ff. de cond. & demonstr.* Idque non modò in legatis, sed etiam in contractibus verum opinamur. *l. 43. §. 9. ff. de Edil. Edict. l. 9. & l. si pecuniam. ff. de reb. cond. l. centesimis. 46. ff. de V. O. Quod enim pendet non est pro eo quasi sit l. 169. §. 1. ff. de R. I. l. 82. ibi idemq; erit ff. adl. Falcid.* Imperfectus contractus dicitur *l. 2. de Contract. Empt.* quomodo igitur obligatio exinde oriri potest, imò nec consensum habere videtur *Paris. consil. 82. vol. 4. num. 6. Ex postfacto confirmatur. l. 8. de reb. Cred. l. 8. de com. & peric. rei vend. l. 11. §. 1. ff. qui potior in pignor.* Unde verbum deberi. *in d. l. Cedere pro obligatione seu caussa ut in l. 7. §. 14. ff. quib. ex caus. in poss. petere autem simpliciter cum effectu & si judiciali exactione accipio, cum inanis aliàs esset dispositio Acac. Anton. ad rubr. num. 54.* Unde nec legatarius nec contrahens sub conditione propriè creditor dici potest. *d. l. creditor. 55. de V. S. Cùm enim debitor dici non possit l. debitor 108. & l. decem. 116. de V. S. ex naturâ relatorum nec creditor no-*

Cap. ult.  
de Effectu.

K 3

mina.



minari poterit ex naturâ contrariorum Gomez. 2. var. resol.  
11. num. 28. Gæd. de contrab. stip. c. 8. nu. 131.

CXXXVI.

Hinc quidam simpliciter negare non erubuerunt contractum conditionalem habere jus de præsentis seu obligationem præsentem pendente conditione, seu totam eius substantiam in pendenti esse per d. l. *cedere* & *tb. præcedenti allegata* et *l. si quis sub conditione ff. si quis omis. corneft. led* viam obligationi parare arg. l. 2. C. de his quæ sub modo leg. l. *legata sub conditione ff. de cond. & demonstr. Sarmient. lib. 2. Select. quest. 3 n. 1.* & quos refert Consultiss. Dn. Pras. ad Doncll 15. Comment 11. lit. A. Simon de Pratis de Interpr. ult. vol. lib. 5. dub. 2. n. 113.

CXXXVII

Nonnulli hæc omnia in legatis quidem concedunt. in l. *si legati ff. de pignor. & l. si uxorem. C. de cond. insert. moti fortiori* textu in l. *is cui 42. ff. de O. & A.* In contractibus verò contrasentientes obligationem statim natam sed actionem tantum suspensam esse tradunt. Cum contractus secundum præsentis, non futuri temporis jus æstimari debeat l. *continuus. 137. §. cum quis. ff. de V. O.* & in stipulationibus id tempus spectandum quo contrahimus l. *si filiusfam. 78. arg. §. item juris Inst. & l. 83. §. sacram. ff. de V. O.* Quando autem stipulatio suspensa dicitur & eveniente conditione commissa, illud accipiendum autumant quoad actionem & effectum juris, non verò quoad substantiam seu subsistentiam contractus. Idque probare conantur ex l. 2 s. ff. *de stipul. servor. Panschman. de Locat. qu. 20. nu. 15. & seqq. Thesaur. dec. 235. n. 3. & seqq.* Deinde per l. 85. §. *fin. ff. de V. O.* Ubi sub conditione obligatus dicitur: cum & jus separationis habeat l. 4. ff. *de separat. & missionē in bonorum possessionem petere possint l. 6. & l. 7. §. 14. ff. quib. ex caus. in poss. præsertim quia comparatur conditionale legatum cum obligatione in diem. in d. l. 45. §. si sub conditione ff. de leg. 2.*

CXXXVIII.

Alii verò nec hoc in contractibus indistinctè admittunt, sed distinguendum censent inter conditionem certam, seu certò extituram & omninò incertam; in illaque obligationem præsentē esse putant ad hoc ut ex illâ dominium transeat. l. 9. §. 1. & l. 16. ff. *de solut. Zang. de except. p. 7. c. 1. num. 92.*  
Nec



Nec soluti pendente conditione repetitionem locum habere  
*l. 17. § seq. ff. de cond. indeb. Gæd. in l. 12. ff. de V. S. nu. 12. Job.  
Robert. lib. 1. sent. jur. 26. Galgan. part. 2. c. 1. quest. 34. num. 17.*  
Qui eo in casu actionem etiam natam, exercitium autem  
eius tantum suspensum esse existimat; In hac verò obligatio-  
nem nondum natam esse putat. *l. 16. in pr. § 1. ff. de condit.  
indeb. quem Cuiac. 13. obs. 20. negativè legit, cui respondet Faber.  
4. conject.*

### CXXXIX.

Unde ob tantorum virorum diversa & varia judicia vix  
meam mentem explicare audeo; Timidè tamen quæ mihi  
circa hanc rem incidunt, aperiàm aliter à prædictis rem istam  
comprehendendo; Qui omnes mihi confundere videntur  
obligationem quæ oritur ex stipulatione commissâ, cum ju-  
re ab illa obligatione prorsus separato & resultante ex stipu-  
latione contractâ. Istud statim præsens esse existimo; illam  
verò non item: quod probat *text. in l. 26. ff. de stipul. Servor.* Ubi  
ex præsentis stipulationis vires capere dicitur, unde apparet jus  
quoddam in stipulatione conditionali de præsentis. *Bald. in l.  
Sicut. C. de O & A.* Committi autem stipulationem nihil a-  
liud est quàm conditionem existere seu diem stipulationi ce-  
dere. *Anton. Faber 3. conject. 7.* Unde contrahentes creditores  
vocantur. *in l. 42. de O & A. & in possessionem mittuntur.  
l. 6. § 1. 7. § 14. ff. quib. ex. caus. in possess. mitt. Acac. Anton. ad rub.  
nu. 67. Gæd. de contrab. stip. c. 9. concl. 2. nu. 3.* Idq; propter spem  
quæ certa est, & notabiles illos effectus producit *Gom. 2. Var.  
resol. 11. n. 29. Mant. lib. 14. Vatican. lucubrat. tit. 41. n. 9.*

### CXL.

Ex quo statim alius resultat conditionalis dispositionis  
effectus, quod contrahens eâ pendente pœnitere, vel ab eo  
contractu alterâ parte invitâ recedere non possit. *gloss. in  
l. 1. C. de peric. & comm. rei vend. § l. necessario § si ita. ff. eod. text.  
express. in l. hæc venditio 7. de contrab. Empt. Pansch. de locat. qu.  
20. n. 25. Mant. de loco.* Non enim debet esse in potestate unius  
reddere contractum inutilem & contrahentem secum elu-  
dere. *l. si quis rem. § l. in potestate. ff. de recept. qui arbit. Job. Bapt.  
Cost. eleganter de retrotract. c. 7. n. 21.* Cùm illa spes sit certa &  
jure approbata. *Gomez. d. loc. n. 29.*

In spon-



CXLI.

In sponsalibus num idem obtineat celebris & diversorum judiciorum Ecclesiasticorum præjudiciis admodum exagitata est quæstio? Affirmativam tuetur *Panorm. in c. super eo Beza de divort. §. in sponsalib. v. p. (mibi) 9. Conrad. Maus. ad ti. Inst. de Nupt. p. 323. quem sequitur Schneid. Inst. de Nupt. nu. 38. per text. in c. 1. X. desponsal.* Cum ex eiusmodi sponsalibus nulla publicæ honestatis ratio oriatur. & per text. in c. super 5. de cond. adposit. secundum istam sententiam in Consistorio Lipsensi judicari expertus sum; & in Scabinatu Jenensi idē observari. *Ampliss. Præceptor Dn. Fom. disp. 3. th. 25. testatur.* Contrariū tamen & in hoc sponsalia nihil à reliquis contractib. differre evincere conantur. *Thom. dec. 10. Cypr. c. 8. de sponsal. §. 4. Et ita judicatum refert Beust. c. 19. de sponsal.* Cum nulla hic possit ratio differentiæ dari inter sponsalia & contractus; idque æquitati magis consentaneum putant, ne homines matrimoniū pro deridiculo & delectamento habeant, quæ sententia de jure civili verior, utramq; tamē opinionem sub distinctione ad concordiam reduci posse existimo, quam in discursu aperiam.

CXLII.

Ad exitum properantibus nobis sese offert ultimò & ille effectus, qui habetur *in l. quotiens 2. in pr. ff. de in d. addit.* Ubi emptio purè celebratā sub conditione resolvitur. Contrahi enim sub conditione dicitur, quando dispositio non habet effectum usque ad futurum conditionis effectum. Resolvitur autem contractus qn. ab initio valuit, sed dissolutio vel firmitas eius ex futuro eventu dependet. *l. 1. de leg. commiss.* Quæ omnibus contractibus & negociis licitè adponitur excepto matrimonio. *c. fin. de condit. adposit. Acac. Anton. ad l. 3. n. 9. & seqq.* Ratio quia matrimonium semel validum non debet ex postfacto irritari. Et sic vela lego puppimque subduco.


Errata.

*In inscript. del. Thesis. Concl. 9. leg. Autumo. 12. purificatur 15. nonnulli 20. spes 23. haberent 34. excessivam 42. de domo 49. eligentes 52. in fin. pro etsi, ut. 54. Pro mitior, militis. 60. leg. adjicitur paulò post. quod negat del. Verum. in. in fin. leg. obligationem ex tunc. 69. in pr. Clausulis 70. adjectas. 79. de nudo. Leviora a quo lectori.*












ULB Halle  
005 132 614


3




10 17











Farbkarte #13

B.I.G.

OLEMNIS

1618, 8

1791

TIO.  
S.

TUNANTE.

*issimi & Amplissimi  
stri Salanâ,*

*io  
simi Viri,*

I HILLI-  
blici celeberrimi,  
em Adessoris

Privilegiis & Sum-  
s dignè obtinendis.

*ri subjicit*

HMANNUS  
S. I. S.

*ocoq; consuetis.*

ica JOHANNIS  
N N I.

XVIII.

